An materiam tam ſublimem ſine eloquentiæ calamiſtris, ſine coloribus Rhetoricis, aut floſculis Poeticis, me paruis coarctaſſe ergaſtulis exclamas Cynice? Fœnum in cornu habes; inſulſus es, Cinice, et cares naſo. Quid tu Mome? Librum hunc minutulum eſſe, ideoque eruditis bilem et iracundiam commouere aſſeris? eoidem retexis fuſos Mome. eundem cum critico et cynico torques funem. exiguum eſſe fateor, nihil tamen minas, nihil ronchos hoſtiũ metuit: non Elephanti proboſcida, non Leonis circinatam caudam, non Aquilæ hamoſum roſtrum, non Aranei aut Stellionis aculeos reformidat: Caput enim acuminatum habet quod iniuriam illatam abarceat, manus vngulatas quæ inimicis noceant; cutem etiam ſetis, villis, et ſquamis ita armatam, vt eius aſpectu vel ipſa Inuidia, (quæ

fuſis per terga colubris,
Impete cum ſtrepitante pios auferre labores
nititur, et ſacro vatum non parcit honori)

incontinenter ſuperatur, ſuperata cruciatur, cruciata cincinnos felle iteratos diſſipat, et diſſipatos igne inextinguibili conſumit. ſed ne Talionis vicem referre iudicer dum hoſtilem taxationem retaxo, plura ſcribere ſuperſedeo, Criticum, Cynicum, et Momum interim admonens, vt huius, Poetæ recordentur,

Cum tua non ædas, carpis mea carmina Lector,
Carpere vel noli noſtra, vel æde tua.

Veſtræ Fraternitati inimiciſſimus,
Gulielmus Vaughannus
Maridunenſis.

An materiam tam ſublimem ſine eloquentiæ calamiſtris, ſine coloribus Rhetoricis, aut floſculis Poeticis, me paruis coarctaſſe ergaſtulis exclamas Cynice? Fœnum in cornu habes; inſulſus es, Cinice, et cares naſo. Quid tu Mome? Librum hunc minutulum eſſe, ideoque eruditis bilem et iracundiam commouere aſſeris? eoidem retexis fuſos Mome. eundem cum critico et cynico torques funem. exiguum eſſe fateor, nihil tamen minas, nihil ronchos hoſtiũ metuit: non Elephanti proboſcida, non Leonis circinatam caudam, non Aquilæ hamoſum roſtrum, non Aranei aut Stellionis aculeos reformidat: Caput enim acuminatum habet quod iniuriam illatam abarceat, manus vngulatas quæ inimicis noceant; cutem etiam ſetis, villis, et ſquamis ita armatam, vt eius aſpectu vel ipſa Inuidia, (quæ

fuſis per terga colubris,
Impete cum ſtrepitante pios auferre labores
nititur, et ſacro vatum non parcit honori)

incontinenter ſuperatur, ſuperata cruciatur, cruciata cincinnos felle iteratos diſſipat, et diſſipatos igne inextinguibili conſumit. ſed ne Talionis vicem referre iudicer dum hoſtilem taxationem retaxo, plura ſcribere ſuperſedeo, Criticum, Cynicum, et Momum interim admonens, vt huius, Poetæ recordentur,

Cum tua non ædas, carpis mea carmina Lector,
Carpere vel noli noſtra, vel æde tua.

Veſtræ Fraternitati inimiciſſimus,
Gulielmus Vaughannus
Maridunenſis.

24608

EROTOPAINION
pium continens

1. Natiuitatem & quædam Christi acta.
2. Speculum pudicitiæ. 3. Psalmos aliquot selectiores.

Pars secunda.

E sacris Scripturæ lacunis deriuata & paraphrasticè carmine donata,

Opera et studio
Gulielmi Vaughanni Maridunensis
in Artibus magistri.

LONDINI
Apud Georgium Shaw typographum.
1598.

NOT TO BE REPRODUCED WITHOUT SPECIFIC PERMISSION

Ad Nobiliſſimum Comitem Notinghamiæ, Hexaſticon.

INconcuſſa velut manet annis anchora multis,
Hacque labante labat merſa carina mari:
Carole ſic Houarde tuis ſuccurris amicis,
Suffulciſque, nites & *charis* intus *olos*.
Hinc (preclare Comes) nobis es comis, es almus,
Totus lux, totus gratia, totus amor.

24608

Illustriss. et inclitiss. Domino D. Carolo Houardo Comiti Notinghamiæ, Supremo Anglię Admirallo, &c. Aureę Periscellidis equiti, Sereniss imæque Reginæ Elizabethæ a Consiliis.

CVm exploratum animi tui candorem, ac indelibatam in me amoris scaturiginem, intimâ intellectus librâ (Nobilissime Comes) trutinarem: & e regione cum iuvenilem meum ardorem, & temerariam, forsitã, audaciam non inconsulto perspicarer, quo pacto gratitudinem meam erga te patefacerem, hęsitãter, idque nec iniuriâ, cogitaui. Veruntamen cum ingenij mei tenuitatem tantam, expertus essem, adeo vt nihil industriâ perfectum, nihil arte elaboratum, (vt fucus, ignauum pecus) patrocinio tuo dignum, parturire possem; pristinę tuę comitatis mihi in mentem venit, ea exspei & excordi ad hortulos Libethridum fragrantissimos iter mihi quam facilimum prostrauit, vbi thymos, violas, & amaranthos exuxi: ea inquam omnem dubitationis suspicionẽ mihi exemit, & persuasum dedit, te secundam hanc sacrorum poematum partem, sicut, & primã boni consulturum,

Cum tibi pro meritis aliàs (Comes inclite) nullas
Conſpicuis, grates, officioſus agam:
Ni teſtudineo modularer carmina plectro,
Iret & in laudes prodiga Muſa tuas.
Hæc ſed Apollo vetat, iubet & maioribus annis
Attribui, dabitur cum noua vena mihi.
Sum Iuvenis; nec adhuc me dignor honore Poetæ,
Mens trepidat, torpet preſſa rigore manus.
Nondum me Pallas deduxit ad Aonis hortos
omnia Piërio ſunt nigra viſa Choro.
Sed me quando virum faciet maturior ætas
Tempus & albeſcet ſplendidiore nota,
Candida victrici tranſcribam nomina famæ,
Quæ tibi profactis nuper adeptus eras.
Perge tuâ interea virtute extendere laudes,
O Norfolciaci clara propago Ducis.
Perge (velut rectè cœpiſti) numen amare,
Perge Poëtarum ſcripta fouere. Vale.

Tuo Honori humiliime
addictus

Gulielmus Vaughannus
Maridunenſis.

Cap. 1.

Gabriel ſalutat Mariam & annunciat Chriſti natiuitatem.

ANgelus æthereipatris mandata capeſſens,
Proruit in Mariæ limina clauſa domus.
Talia cui ſubito diuino numine plenus,
Inquit, ave Charitum (virgo Maria) potens.
Salue lux mundi, tecum Deus eſto ſupremus,
Inter foemineos es benedicta choros.
Illa ſed obſtupuit, tremulis vox faucibus hæſit,
Tales turbato voluit & ore ſonos.
Forma ſalutandi quænam foret iſta, priorum
Non audita vlli mellea tanta Charis.
Rettulit at Gabriel, timeas ne regia virgo,
Parce metu, curis ſoluito corda tetris.
Grata Deo paries, prolemque vocabis Ieſum,
Ac erit omnigenûm dicta propago patris.
Cui dabitur ſolium Iacob, Dauidque tribunal,
Electos princeps & ſine fine reget.
Quomodo, tum Maria, hæc fient? ignoro iugales
Tactus, cui præco: pneumate nota ſacro

Conci-

Concipies, vt recta scias magis ista, tenellum
Fert cognata senex Elisabetha tua.
Sextus hic est mensis, quid non diuina voluntas
Perficiat? virgo tum pia voce refert:
Ancillæ domini fiant, quæcunque placebunt,
Haud mora, progenie viscera fœta tument.

Cap. 2.
Angelus instruit Ioseph de Marię sponsę suę conceptione, & futuro partu.

CVm Christi genitrix, incognita virgo Maria,
Connubij Ioseph fœdere iuncta foret.
Comparis ante sui vestigia duxit in ædes,
Ventre Dei soboles dulce pependit onus.
Hæc postquam sponsi res peruolitauit ad aures,
Vxoris casus flebilis ore tulit.
Et quia iustus erat, grauis & pietate, puellam
Noluit infamem reddere in ora virûm.
Sed pia coniugij priuatim linquere vincla
Constituit secum, spe que metuque vagus.
Sæpius ancipiti dum talia corde reuoluit,
Exilit in somnis angelus ecce polo:
O Ioseph (inquit) Dauidis vera propago,
Desere non sponsam suspicione tuam.

Quam

Quam modo ventre sacro concepit flamine proles
Gignitur, vxorem sumito, sponse, sacram.
Prognatus redimet populos à crimine vates,
Et circumciso nomen Iësus erit.
Vt sint fatidici completa sacerrima verba
Vatis, perpetua præscia digna cedro.
En vtero casto grauidata pijssima virgo,
Filiolum pariet, progenitore Deo,
Dictus et Emanuel, cuius si forte requiras
Sensum, nobiscum signat adesse Deum.
Morpheus exierat sopitis nocte silenti
Artubus, Auroræ lumina mane timens.
Sedulus è lecto molli surrexit Ioseph,
Et Mariam refouens, in sua tecta tulit.

Cap. 3.
Censetur tota terra ab Augusto Cęsare, Nascitur Christus.

AVgustus Parthas domitor cum vicit, & hostes
Euertit Medas, Marte furente feros.
Bifrontis iussit bifores occludere valuas,
Pacem constituens alter in orbe pater.
Vtque potestatem Romani intelligat aptam
Imperij, & largas congerat orbis opes.

Con-

Consulto instituit tandem decreta senatu,
Censibus allatis enumerare viros.
Instat Hiems niuis alba parens, penetratque sagittis
Seminir imbutis corpora cuncta gelu.
Induperatoris iuxta mandata, laborant
Confluere ad patrium plurima turba solum.
Nec minus et sponsa, Nazaraâ sede relictâ,
Bethlemiam Ioseph concomitatus adit.
Intrârant vrbis vix mœnia luce fugata,
Quandò fulserunt sidera clara polo.
Nemo sed hospitium defessis dulce ministrat,
Vrbs ingrata sacrum cogit abire chorum.
Marmoreis paries nec erat firmata columnis
Aedis, non illis aurea tecta patent.
Stragula non mensam velant, nec fercula lauta,
Non thalamo thuris fumat odore thorus.
Stramina tetra tegunt, & agrestis tegmina canna
Claudebat lento vimine nisa domus.
Horrenti culmo, inque mapalia carice structa
Foeda, fatigatos ire viando iuvat.
Vix commiserunt sua membra leuanda cubili,
Cum sacer impleto tempore partus adest.
Patre deo natum mundo mortalis Iësum,
Cum puerum nulli cognita, virgo tulit.

Cap. 4.
Angelus superveniunt pastoribus. Angelorum canticum.

IAm prope pastores vrbem tolerare prainas
Consueti, pecudes & vigilare manent.
Tempore dimidiæ noctis penetrabile lumen
Cernitur, & totus luce refulget ager.
Ruricolæ attoniti, subito tremuere pauore,
Et gelido timidi diriguere metu.
Angelus at solatur eos formidine motos,
Veridico & tales fudit ab ore sonos,
Ne trepidate viri tantas expellite curas,
Non tendo insidias, ne trepidate viri.
Lætitiæ summæ vobis noua nuntia porto,
Saluator vobis nascitur vrbe puer.
Quem toties vates, toties cecinere prophetæ
Venturam prolem, progeniemque Dei.
Christus adest, tamen ista loqui ne falsa putetis,
Vera puerperij noscite signa sui.
Vestitum modice stabulo, ad præsæpe iacentem,
Supplicibus votis invenietis eum.
Hæc vbi dicta dedit, cantabant æthere magna
Agmina militiæ turba ministra Dei.
Gloria cunctigenûm soli sit summa Parenti,

Pax terris, sit mens relligiosa viris.
Nec mora: pastores properant Dauidis in vrbem,
Visuri Angelico mira relata choro.
Instabulum ingressi, prognatum virgine Christum
Repperiunt positum stramineoque thoro.
Poplite deflexo, versisque ad sidera palmis,
Gratantur puero, & iubila læta canunt.
Multifori stipulâ modulantur carmina lusa,
Mille modis soluunt & pia vota prece.
Hæc satis intuiti redeunt in ouilia cœtus
Pastorum, & pueri nomen vbique sonant.

Cap. 5.
Christus circumciditur.

Signa sagittiferi Chironis Gnosia Phœbus
Liquit, & auratis accelerauit equis.
Alternis vicibus brumalia frigora passus,
Accessit radio splendidiore nitens.
Lætus vt illustret rutilanti lampade Capram,
Gratius Oceano prouehat vsque caput.
Hybernæ ancipitis Iani rediêre calendæ,
Lucis principium dum nouus annus habet.
Hæc est illa dies, qua nos mysteria prisca
Sectantes, alijs munera magna damus.

Hæc

Hæc octaua dies, grauidam a quâ virginis alvum
Diuinâ Christus soluerat ortus ope.
Hæc est illa dies, quâ Diti bella parabat,
Quâ circumcisus Christus Iësus erat.
Vt sol octoadem radijs adduxerat ortus,
Et fuerant victu membra refecta leui.
Lex erat Hæbræis sculpsisse characterа rubrum,
Excisa & marium pelle secasse cutem.
Grandior vt natu prurit a Cupidinis arma,
Et fugeret Cypriæ vincula dura deæ.
Mandauit primus genitos recutêre tenellos
Posteritati Abram, præcipiente Deo.
Quem recolens morem genitrix veneranda, puello
Allato secum templa, Maria, petit.
Parua sacerdotes saxo vt præputia sacro
Præcidant, veterum iure monente patrum.
Signiferum nomen tribuere salutis Iësu,
E cœlo vt veniens angelus antè dedit.
Mater abhinc quamuis non contemerata cubili
Manserit, est intra tecta morata tamen.
Roscida percurrit donec Pallantias vnum
Mensem, non ausa est visere rura foras.

Cap. 6.

Purificatio Mariæ. Canticum Simeonis. Anna Prophetissa.

GRessibus alta petunt Solimarum mœnia Ioseph,
Cum sponsa Mariâ, filioloque simul.
Torquatas portant patrio de more columbas
Mentis signa piæ et thura litanda Deo.
Sanguine dispersò volucres torquentur ad aram,
Quo perhibent Mosen sacrificare modo.
Protinus accedit Simeon venerabilis æuo
Multo, vir sapiens, & pietatis amans.
Spiritus huic sanctus promiserat, ante relinquat
Vitales auras, ore videre Dei.
Iamque mori cupidus, grandæua ætate grauatus,
Numine præsensit numen adesse sacris.
Continuò inuentum trepidantibus excipit vlnis,
Et dulci tales edit ab ore sonos,
Nunc in pace tuum dimittis labe solutum
Corporea seruum, vt vaticinatus eras.
Iam mea Messian viderunt lumina, lucem
Gentibus, Hæbræis præsidiumque decus.
His dictis, Mariam sermonem vertit in ipsam,
Quæ detur meritis gratia digna tuis?
Virgo vide intacto peperisti corpore qualem,
Terror permultis exitialis erat.
Sed latus effossum præacutâ cuspide cernes,
Conspectu tanto mœstitiamque feres.
Exactis verbis, annis anus Anna tremescens
Affuit, innumeris quæ Phanuele sata.

Coniuge

Coniuge cum charo, septem traduxerat annos,
Atropos hunc postquam sustulit atra polo:
Innuba tentauit viduatam viuere vitam,
Et ieiunauit nocte dieque precans.
Quæ complexa manu puero benedixit Iesu,
Ac de promisso semine verba dedit.
Legales solymes vbi perfecêre parentes
Ritus, Bethlemiæ visere rura iuuat.

Cap. 7.
Magi ab oriente proficiscuntur Hierosolymam. inueniunt Christum Bethlemię.

ARtophilax inter septem temone triones,
Obliquum plaustrum flexit in axe micans.
Thuribulum, pistrix, mynois, vrsa, gemelli,
Deltoton, Procyon, Pegasus, anguis, avis,
Cumque refulserunt Leo, Cassiopæa, corona,
Luxit inauditâ stella stupenda face.
Quâ non splendidior portendens fata comætes
Regia, regnorum fulmina, bella, minas.
Siue Arabas spectes, Garamantas, siue Gelonos,
Nauita Cecropiæ rudera siue plagæ,
Romanos, Mauros, Persas, Gallosque Britannos,
Siue peregrinus thurea regna petas.
Seu rate conscendas, quâ torrida Zona Syenen

Reddebat calidam, sole tepente caput.
Te comitaretur Iudæa nobile sidus,
Quod non excellit lumine Luna nitens.
Hoc viso, reges tres ex oriente profecti,
Quâ noua præduxit stella coruſca comes.
Talibus ad Solymam tandem venere loquelis,
Dicite vbi vasti nascitur orbis honos?
Natus vbi insolito rex vester, dicite, partu?
Illius hinc astrum vidimus axe procul.
Idcirco ad vestras celeres properauimus oras,
Curuatis genibus tollere laude ducem.
Aures arrexit queis cum malesidus Herodes,
Obstupet, & subito pallidus ore tremit.
Protinus accitis scribis, interrogat orâ
A quâ promissus vatibus ipse Deus.
Bethlemiam vnanimes vrbem dixere, prophetas
Sic quondam sacris inseruisse libris,
Non minima augusta Iudæ de stirpe propagas,
Tu quoque Bethlemia vrbs paruula grata Deo,
Edetur de te mihi nam clarissimus Heros,
Qui populos certo fœdere pacis alet.
His exploratis, mellitis vocibus vsus
Rex, ficto Eois regibus ore refert,
Stella præcedente (sophi) fœliciter ite,
Quærite apud Bethlen regia tecta citò.
Tecta reperta mihi rursus narretis, vt ipse

Regem

Regem magnificum supplice corde colam.
Sic ait, & blandâ latitabant toxica voce
Dira, viatores ingrediuntur iter.
Vt prius in cœlo conspectum apparuit astrum,
Sed postquam Bethlen appetiêre, stetit.
Adueniunt caulam, supra quam constitit, implens
Tota refulgenti lumine tecta domus.
Infantem mater teneris amplectier vlnis
Cernitur, angelici nectare lactis alens.
Gratantur puero, tradentes fuluatalenta
Auri, cum myrrhâ, thura Sabæa Magi.
Aurum regna notat cœli, terrestria myrrha
Significat, summo thura pianda Deo.
Inde reuertentes monuit per somnia Numen,
Regia ne repetant sanguinolenta, Magos.
Commonuit Ioseph, matrem & comitante puello,
Tenderet in Ægyptum præproperando fugam.
Quâ semel annalis septeno Nilus inundat
Gurgite, & imperium quâ Pharaones habet.
Cum se delusum sceleratus sensit Herodes,
Rursus & in Solimam nolle redire sophos.
Tisiphone accensus, genetricis ab vbere raptos
Infantes statuit mille necare, viros.
Dicta prophetarum sint vera oracula, luget
Occisos natos victa dolore Rachel.

Exclamatio in Herodem.

O Tetrarcha, tuum quæ cor commouit Erynnis
Quærere quæ Christi viscera fecit Eris.
Te tigris Hircânus genuit (furibunde Lycaon)
Te lupa nutriuit Parthica lactis ope.
O serpens, pueri quid commeruere pusilli?
Ergo purpureo sanguine tingis humum?
Non longe exultas, corrosa a vermibus atris
Immundo morbo tabida membra cadunt.
Voluis sysiphium saxum nunc (perfide) tantâ
Tantaleam pœnam pro impietate luis.

Cap. 8.
Ioseph vocatur ex Aegypto. Christus cum Doctoribus disputat.

PLeïas autumnos paucos exegerat orta,
Herodis rumor mortis vbique fuit.
Tum conferre pedes patriæ in Galilæidos oras,
Diuina Ioseph voce coactus erat.
Mater vbi magna cum sedulitate tuetur
Infantem tenerum, regia Virgo suum.
Ingenio nulli pueriliætate secundus
Creuit Christus, amans iussa timenda patris.
Mollia robusto firmantur membra vigore,
Et sua cunctipotens spiritus ossa regit.
Bissenas brumas numerârat Cynthius illi,

Cum toties messes roriferasque tepens.
Ad Solymam festum celebrare quotannè parentes
Transibant, nato concomitãte suo.
Tempore cum pauco finem fecere sacrorum,
Vrbis pertæsi versus iêre domum.
Ipse sed amissus Solimarum forte, quod absens
Nesciuit mater, mansit in vrbe puer.
Mersit in occiduo defessus in æquore Titan
Serus equos, magno lumine vesper adest.
Vesper adest, tandem lassi subiêre parentes
Hospitium, Christum mater abesse dolet.
Crastina lux aderat, fractam qua calle viarum
Ambiguam ad Solymos non piget ire lares.
Terna dies venit, cum sacras intrat in ædes,
Debita cœlesti fundere vota Deo.
Et videt optatum scribas, interque lycæos,
Christum informantem mystica mille, senes.
Protinus alloquitur stupefacta, parentibus alme
Cur ita feciſti talia, nate, tuis?
Te simul amissum quæsiuimus vndique mœsti:
Matri sic contra filius orsus ait,
Vt fit quod tristes me quæsiueritis ambo?
De rebus patris me fore, vosne latet?
Dictorum sensum mater nesciuit, at ille
Nazareum repetit morigerando solum.

24608

Cap. 9.
Christus a Iohanne baptizatur.

Illic digressus liquidas Iordanis ad vndas,
Hic vbi Zachariæ magna propago fuit.
Pelle cameligera tenuit vestitus eremum,
Prauorum purgans crimina fontis aqua.
Nunc vbi vicinum fluvium tetigisset Iesus,
Baptizare negat prodromus ipse deum.
Anne lauem, dicens, maculis te (Christe) solutum,
Qui peccata potes soluere nostra, Deus?
Non mihi concessa est diuina potentia talis,
Nec me tam summo dignor honore miser.
Talibus auditis, obsistere, rettulit agnus,
Ne votis pergas, ergo quid instat, age.
Desinit extemplò sanctus contendere vates,
Abluit & sacrum corpus in amne dei.
Lotus & egressus fuerat vix, luce coruſca
Panditur ætherei ianua clausa poli.
Numinis effigie vox auscultata columbæ,
Descensa est tales & resonare sonos:
Hic meus est natus summo dilectus amore,
De me (discipuli) credite, quicquid ait.

Cap. 11.
Christus proficiscitur Hierosolymas.

Chri-

CHristus vbi ad ſolymã greſſũ prope contulit vrbẽ
Bethphaga quâ paruum tollit ad aſtra caput,
Quaue ferax omnes ſat diuulgata per oras,
Semper odoratis ſurgit oliua comis.
Elegit binos è concomitante caterua
Seruos, hoſque pio protulit ore ſonos,
Carpite iter celeres in iugera proxima campi,
Vos vbi caſtellum, quod iacet ante, ſitum.
Mox pecus Arcadicum cum pullo ſune ligatum
Præſepi, pariter, repperietis ibi.
Amborum manibus diſſoluite vincula nexa,
Ad me vobiſcum ferte, ſed abſque mora.
Siquis erit forſan, pecorum qui deneget vſum,
Reſponſum, Dominum poſcere velle, date.
Vllum non referet verbum, ſed vtrumque relinquet,
Vatis vt acciderent verba ſacrata pij,
Dicite ſic natæ dominanti in turre Sionis,
Aduenit optatus rex tuus ecce tibi.
Aduenit a miti vectus manſuetus aſella,
Atque ſuper pullo non renuente iugum.
Expediunt celeres Domini mandata miniſtri,
Apportant ſecum mox & vtrumque pecus.
Et ſuper imponunt dorſo venerabile Numen.
Proſternunt veſtes plurima turba ſuas.
Spargentes alij virides per compita ramos,
Frondibus & foliis ſuppoſuere viam.

Præ-

24608

Præcedendo cohors tali numerosa, sequendo
voce, Dei sobolis concinuere decus,
Plurima Dauidis viuat per secula nati
Nomen, in æternum posthuma fama volet.
Inque Dei veniens benedictus nomine viuat,
Pangamus læti carmen Osanna Deo.

Cap. 12.
Mulier Cananea orat pro filia.

POst digressus erat Solymarum Christus ab vrbe,
In Tyrias iuit, Sydoniasque plagas.
Atque ibi pro natâ mulier Cananæa rogauit,
Procumbens humilis talia fudit humi,
O miserere mei, Numen, nam filia nostra
Dæmone turbata est, ô miserere mei.
Rettulit ipse nihil, donec flexere magistrum
Discipuli precibus: non ego missus, ait,
Sum gentes omnes, sed conciliare relictas
Israelis oues, a patre sermo pius.
Incassum Boreæ, fundisque quid irrita verba,
Me dictis cesses ergo mouere tuis.
Quam male conueniat, puerorum panis vt esca,
Prædaque brutorum sit superampla canum.
Mobilis illa minus, votis constanter inhæsit,
Perfundens madidis hæc lachrymosa genis.

Vidi-

Vidimus interdum viles tamen ore catellos,
Quisquilias domini sæpe voraſſe sui.
O Chananæa, fides tua magna est, subdit Iesus,
Ex animo eueniant qualiacunque petis.
Protinus ægrotans in eodem tempore salua
Nata valet, Dæmon & Phlegetonta petit.

Cap. 13.

Christus cum discipulis nauigat in mari. Tempestas oritur. Christus reprehendit ventos.

NAuigat in ponto, socijs comitatus Iësus,
Bissenis, pariter lignea transtra sequens.
Vix medium Pelagi tenuit celerante carina
Cursu, cum rapidis sæuijt vnda Notis.
Nunc rapitur sursum, recidit nunc quassa deorsum,
Nunc terræ centro, sideribusque rotat.
Confestim Scyllas inter, tot mille Charibdes,
Discipuli trepidi diriguêre metu.
Puppe quiescentem perturbantesque magistrum,
Talia cum timidis dicta dedere sonis:
Suppetias, ô nate Dei, des vnice nobis,
Rebus in aduersis ô Cynosura iuua.
Aspice tempestate ruit concussa carina,
Piscibus vndosis obuia præda sumus.
Illico nos igitur præsentibus eripe fatis,

Cla-

24608

Clareat vt verbi florida fama tui.
Christus at euigilans respondit, monstra, pusillæ
O homines fidei cur trepidatis, aquæ.
Vos quid adhuc virtus latet enthea maxima nostrum?
Nonne patris prolem me liquet esse Dei?
Credite, & ex animis vanos remouete dolores,
O nimium fracti credulitate leui.
Dixit: & Æolijs dat iussa seuerrima ventis,
Murmura præcipiens sæua silere maris.
Continuò taciturna ques redit, aura serena
Temperat vndisoni lurida monstra freti.

Speculum pudicitię.

VRbs apud Assirios celsis erat alta columnis,
A Beli regis nomine nomen habens.
Condidit hanc Nemroth primus prope flumina flexi
Euphratis, Phario flumina nota solo.
Coctilibus muris cinxisse Semiramis, inde
Dicitur & tectis ædificasse nouis.
Diues opum, diues gemmarum, diues & auri,
Extitit interdum mèlitiæque potens.
Cum post diluuium fuerint terquinque peracta
Secula, maiori nobilitate stetit.
Permulti gessere diu diademata reges,
Hanc designantes dicier artis opus.

Nabu-

Nebuchad-nezzar tandem conſeſſus auito
In ſolio, tenuit regia ſceptra manu:
Quẽ leuis ambitio ſubiectos fecit habere,
Sub iuga finitimos ferreque dura, duces.
Qui proceres Iudæ captiuos reddidit hoſtes,
Zedechiam vinclis compedibuſque ligans.
Impulit hos victor ſibi morigerare ſubactos,
Deſerere & patrios, tecta colenda, lares.
Exercere tamen proprias manſuetior artes,
Et magni ſacris in vigilare Dei,
Iſacidûmque duos dominos de ſtirpe creare
Conceſſit viua voce quotannè, ſenes.
Illîc Hæbræus Ioachimus origine vixit,
Integer, & vitij vir ſine labe ſacer.
Nummatus, iuſtus, fœlix, dedit, obtulit, auxit,
Dextra, corde, fide, munera, vota, genus.
Is ne moroſæ pruriginis æſtuet æſtu,
Vxorem ſtatuit ſumere mente probam.
Nec mora: conſulitur cognatis ſtemmate, ſuadent
Legitimum iugiter fœdus inire thori.
Iungere connubio ſtabili, propriamque dicare
Suſannam ſuadent: iungere iuſſit amor.
Non fuit hac vnquam formoſior altera virgo,
Virgo virginei gloria rara chori.
Æmula conſpicuis radiarunt lumina ſtellis,
Fulſit & in roſeis gratia vera labris.

24608

Candidius niveo velauit marmore corpus
Bis Tyrio tincta murice veſte, ſuum.
Ore venuſtates, Veneres ceruice, loquelâ
Certa fides, Domini menteque ſedit amor.
Ætati cuius Ioachimi congruit ætas,
Cum forma, mores et placuere pij.
Ergo iocos Hymenos, ſubierunt iuraque ſancta,
Ambo conſortes & pepigere fidem.
Vnanimeſque Dei leges coluere ſupremi,
Pauperibus dantes dona perampla viris.
Halantem croceis habuerunt floribus hortum,
Hîc vbi conſuêrunt ſe recreare ſimul.
Fratribus exulibus ſpatiandi ſæpe dederunt
Quottidiè veniam, per viridare ferax.
Hinc mos peruetuit crebro communior vſu,
Rectores iſtîc conſtituiſſe forum.
Mitis enim Zephyrus placidas afflauerat auras
Follibus, herbarum corpus odore replens.
Dimiſſis ducibus, populiſque clientibus, almum
Helchias ipſa pedes in viridare tulit.
Quod cum rectores oculati ſæpe notârint,
Membra Cytheriacis incaluere notis.
Augentur magnis incendia motibus orta,
Et male-ſuada mouet bella duobus Eris.
Nunc errant, ſed alunt errando vulnus amoris,
Nunc metus auellit, nunc metuendus amor.

Spe modo lactantur, sed spem præcepta tonantis
Euertunt, tamen hæc omnia vincit amor.
Talis amatorum retinet discordia sensus,
Tanta Cupidinei vis truculenta iugi.
Non ita sulphureis flammabat montibus Ætna,
Tantus in exsuccis ossibus ardor erat.
Haud tamen audebat rectori pandere rector,
Carnificis punctum pectus amoris acu.
Quadrigis medium peragrauit Cynthius axem,
Atque laborantes duxit anhelus equos.
Soluendi iam pane fuit ieiunia tempus,
Alter in alterius lumina fixit amans.
Protulit hæc etiam, non solem perspicis æquo
Collustrare orbem lampade, fide comes?
Ergo reuertamur, sumamus prandia curis
Auxiferis fracti: nos iubet ire fames.
Inquit, & in proprias iuerunt protinus ædes,
Sed mox regressum præbuit alma Venus.
Non etenim Cereris petuerunt munere pasci,
Nec dapibus, reditum præbuit acer Amor.
Attoniti celeris remeatus, quærere causam
Tentarunt subitam liberiore modo.
Liberius, longis quid vero ambagibus vtar?
Regressus causam dixit vterque sui.
Susannam visco prædam cupit esse trahendam,
Quæ morbi præsens sit medicina grauis.

Vna-

2468

Vnanimes igitur loca conuenientia ſtupro
Captarunt tempus, conuenienſque dolo.
Æſtus erat, Cancri ſol & tendebat in altum
Corpora colluſtrans inferiora face:
Helchias ancillis aderat ſtipata duabus,
Vt lauet in riguo membra inuoſa lacu.
Hìc vbi ſucceſſit credens fore ſingula tuta,
Tales nectareo fudit ab ore ſonos:
Feſtinante gradu modo feſtinate puellæ,
Suauia cum nardis ſmegmata ferte mihi.
Sol coquit, & radijs artus penetracibus vrit,
Frigerer, idcirco balſama ferte mihi.
Hæc ait, & Dominæ præſtant mandata puellæ,
Appoſitis foribus vecte ſerâque, citant.
Cum veſtimentis, capitis redimicula compti,
Exuit occulti neſcia Nympha doli.
Prætores vero qui iam latuere ſub vmbræ
Aucupio prompti, nec ſine felle, duo,
Carectis, latebriſque cauis poſt terga relictis,
Accedunt ad eam, talibus atque procant,
Dulce maritalis decus (ô Suſanna) cubilis,
Demum per longas nos redamato moras.
Ignoſcas culpæ, ſi ſit modo culpa, precamur,
Et ſedes flammas (mitis amica) ſatas.
En ſumus in tuto, clauduntur poſtibus horti
Lumina ferratis: nemo videre poteſt.

De-

Deuincito ſenes benefactis, ſiqua ſenectæ
Mollis honorandæ tangere cura queas.
Sin autem dictis ſanis peruerſa repugnes,
Nec precibus noſtris commoueare procax:
Dicemus facinus te perpetrare, toroſum
Inque ſinu iuuenem ſponte fouere tuo.
Ergo coegiſti petulanter abire puellas,
Ne teſtes huius criminis eſſe queant.
Sic in Tartareum te detrudemus Auernum
Damnatam, noſtrum turpiter ante thronum.
Et necis & vitæ nos eſt penes omne, caueto,
Ius: quam ſuaue, vide, viuere, triſte mori.
Vix ita finierant vetuli: cum mœſta capillos
Helchias, & lachrymis rorat vt amne genas.
Talia turbata perfudit verbula voce,
O Deus, in quantis verſor egena malis.
Quam ſubitò noſtrum fortuna nouerca rotatu
Dura, molendinat labriciore, ſtatum.
Quam ſubitò fauſtam me protheat arte doloſa,
Infauſtam reddit conſilioque malo.
Arboreas Boreas glandes vt voluit acerbus,
Sic eu me miſeram voluit acerba magis.
Sic me peruerſat modo qua fœlicior vlla
Non fuit, ô quantis verſor egena malis.
Eſt Deus in cœlo, proceres, Deus omnia cernens,
Qui ſcelus æterna vindicat omne nece.

Hoc

24608

Hoc petitis vitium multabile vindice pœnâ.
Immerito at veniens pœna dolenda venit.
Hei mihi, quid faciam? si morigerare recuſem
Vobis, effugiam quo fera fata modo?
Sponte tamen cupio ruere in fera fata ferenda,
Fœdera ſponſati quam violare thori.
Hæc vbi fata fuit, famulares voce canorâ
Acciit omnino proſperitatis inops.
Clamarunt etiam ferientes æthera magno
Obſtrepitu proceres, irruit inde phalanx.
Suſannam violaſſe thori ſocialia iura
Narrarunt vetuli, teſtificante fide.
Obſtupuere omnes qui confluxere propinqui,
Talibus auditis, quæ modo vera ferunt.
Suſannam quoniam vitijs infamia nullis
Hactenus infecit, quæ modo vera ferunt.
Non ſemel hæc vnquam potuit vulgare per ora
Publica fama virûm, quæ modo vera ferunt.
Phœbus Atlantiacis, vbi ſurrexiſſet in vndis
Craſtinus, aureolâ lampade nigra fugans:
Iudiciale forum proceres petiere luporum
Inſtar auarorum, quos premit atra fames.
Accerſique cito Suſannam tempore mandant,
Coniuge cum natis quæ comitata venit.
Sed faciem vetuli nudari ſindone tectam,
Vt formâ ſatient lumina ſpurca, iubent.

Con-

Continuó ſurgunt cum maieſtate ſuperbi,
Hæc que venenata iurgia voce ſonant,
Heſterna dum luce leui conſedimus herba,
In xiſto (fratres) ſole tepente comas.
Iſta gradus mulier cum ſeruis contulit illuc,
Neſcia quas noſtrûm iuſſit adire domum.
Appoſitis foribuſque ſeris accedere pulchra
Vidimus (infandum) condicione virum.
Vidimus amplexus, quis non et cætera noſcit
Ludicra? quæ fieri cæca libido probat.
Mouimus inde ſcelus verſus veſtigia lenta,
Vir potior nobis fugit at ille pede.
Dixerunt: vulgi conclamat tota corona,
Flagitium dira tam graue morte luat.
Lictores illam ducant ad ſaxea fata,
Protinus vt ſimplex ducitur agna foras.
Inter ducendum, ſummo lachrymoſa Iehouæ
Rettulit innocuis talia vota labris.
Auxiliare mihi laturæ indigna miſellæ,
Qui ſine principio es, qui ſine fine, Deus.
Te nihil arcani mentis latet, omnia noſcis,
Noſcis me leges non violaſſe tuas.
Noſcis adulterij mihi deteſtabile crimen,
Non merui pœnas ô Deus affer opem.
Sic ait, & facili queſtus Deus aure capeſſit,
Et ſanctus puerum ſpiritus intus agit.

24608

Suggerit æthereas, Danieli ſuggerit auras,
Qui cordis veri callet operta pater.
O ciues, ciues, (inquit) quò tenditis huius
Sum vacuus fraudis, retroredite citò.
His dictis, populi quænam ſententia, dicunt
Eſt animi, paucis dicito parue puer.
Is ſacer ingenti circumvallante cohorte,
Angelico tales edidit ore ſonos.
Quam cæcis gens eſt Iacobæa voluta tenebris,
Vt cernant vitæ lumine nulla bona.
Vt non ſub iuſto matronam iudice iuſtam
Approbet, & teſtes puniat enſe reos.
Iudicium veſtrum reuocate, recedite rurſus,
Sunt de Suſanna non niſi ficta ſenum.
Ergo gerunt illi morem populique recedunt,
Aſſidet & celebri iudicis ipſe throno.
Diuerſaque iubet vetulos ſtatione morari,
Alterutrum tantum ſcilicet ante thronum.
Rettulit & vates, in apricam fœtida vita
Profertur lucem (vir male-ſane) tua.
Contaminata malis tandem tibi vita ruinam,
Vlciſcente Deo, ſæuaque fata parit.
Bellerophontæum cur portas ipſe flagellum?
Iudicioque tuo cur peris ante diem?
Non animum terrere tuum potuere ſacrata
Iura pudicitiæ, nec reuerenda Dei?
Arboris aſt illam cuius mihi fare ſub vmbra

Rumpere vidisti fœdera pacta viro.
Lentiſci vidi dum concubuère ſub vmbra,
Reſpondit, Daniel cui tulit hoſce ſonos,
Improbe mentiris, Domini angelus ecce propinquat,
Vt tua plectantur crimina fœda nece.
Sic ait, egregiumque vocat ſocium, iſta profatus,
Huc ades ô Chami ſanguine nate mihi
Siccine veſanus tædam ſub corde Cupido
Abdidit ardentem, flammigeramque tuo?
Siccine Iudaicas flagras vitiare puellas?
Siccine matronas in tua vota trahis?
Sed non hæc mulier patienter vota ferebat,
Non erat hæc hamis illaqueanda tuis.
Si modo ſpexiſti iuuenilia ludicra, plantæ
Illos ſub cuius fronde iacere refer.
Rector ad hæc: patulæ pariter ſub tegmine quercus
Vidi: vatidicus ſed puer ore refert:
Tu quoque fudiſti falſa mendacia lingua
Vt te tollat adeſt nuncius ecce Dei.
Applauſere omnes, ſonituſque dederê canoros,
Cantantes regi carmina mille poli.
Conuictoſque ſenes lapidarunt vindice lege,
Scilicet hæc habuit præmia turpis amor.
Mandarunt etiam præconia digna libellis
Suſannæ, nullo deperitura die.
Nec non afflatum Danielem flamine ſancto
Inter honoratos inſeruere duces.

TELOS.

24608

Paraphrasis in aliquot Psalmos selectiores.

Paraphrasis in Psalm. 8.

Domine noster.

O Deus, humanæ moderator maxime gentis,
Quam toto in mundo nobile nomen habes!
Quam decus immortale tuum, super astra locasti!
Quam bene dignatus tollere fascis onus!
Quantâ mortales tu sedulitate tueris,
Lactentum prodit mutaloquela satis.
Artificem iustis ipsorum ex ore medelam
Planctibus invenies, sacrilegosque teres.
Perspiciam cœlos, solaria lumina, lunam,
Perspiciam celsi sidera celsa poli.
Perspiciam mundi muralia plasmata, & omne
Dextera quod lucens ædificauit opus.
Sed quid homo cuius memor es? quid siue caduci
Filius est hominis cui refauere iuvat?
Quem prope semideum cultum pietate creasti,
Vt teneat præses terrea regna tuus.
Ille boues, & oues tenet, & genus omne ferarum,
Fingentesque cauo gutture carmen aues.

Mon-

Paraphrasis in psal.9.

Monstra marina tenet, te concedente, subacta,
Flectit ad imperium, te duce, cuncta suum.
O Deus, humanæ moderator maxime gentis,
Quam toto in mundo nobile nomen habes.

Paraphrasis in Psal.9.
Confitebor tibi.

EXoluam tibi, magne pater, præconia versu
Et tua certatim pragmata mira canam.
Gaudebo, plaudens ad nomen cantica ducam,
Tu mihi subiectum carminis omnis eris.
Tu pacem nobis permittis, & otia lenta,
Ludere quæ vellem dulcisonaque lyra.
Te silvas recubans resonare docebo sub vmbrâ,
Qui semper tantæ causa quietis ades.
Spicula sanguineos nigra dum iacularis in hostes,
Incolumis resono iubila læta chely.
Pro me respondes hostis commenta refutans,
Tisiphonen dirimis, liberor inde metu.
Incilas gentes, & amantes furta trucidas,
Inque soporiferas nomina mittis aquas.
O inimice Dei, velut vrbes ignibus vstæ,
Quas propriâ interdum corripis arte, peris
Ipse sed altithronus manet imperterritus armis,
Arbitrij solium condidit orbis opus.
Hîc vbi iustitiam miseris, & reddet egenis,

24608

Hîc vbi non iustis ferre negabit opem.
In te sperabunt omnes, qui nomen honorant,
Quos non destituis, quando nouerca fremat.
Collaudate deum, Dominum celebrate Sionis
Laude perennali, carmine, honore, tuba.
Pandite facta Dei, miracula gentibus, acta,
Eius inauditum ferte libenter opus.
Namque cruoriferum stratagema impune tyrannus
Non coniurabit, nec fera bella geret.
Inuestigabit scelus, authoremque reatus,
Ecœlo iudex, qui videt omne nefas.
Non hominis questus obliuiscetur egeni,
Punibit ditem, sanguinis atque reum.
Commiserescemei, qui clathros frangis Auerni,
Prospice iustitiæ, perspice damna mea.
Vt per Londini manifestem limina, facta
Narrat vbi princeps Elisabetha, tua.
Exoluam tibi, magne Deus, præconia versu,
Et tua certatim pragmata mira canam.
Foderunt puteos Hispani, retia furtim
Struxerunt, sed eos implicuere iugis.
Vindice te, Phalares pereunt, fera præda ferarum,
Vindice te brutis obuia bruta ruunt.
Vindice te, propriam minium deluſa per iram
Plebs cadit ingenij proditione sui.
Qui non concelebrant dominum, eijcientur in Orcum,

Paraphrasis in psal. 24.

Hîc lemures, Sphynges, monstra cruenta, furunt.
Iustus egestatis patiens, non muneris expers
Est, nec fortunis tempus in omne vacat.
Surge Deus, vinclis hominum compesce furores,
Pœna malis detur, præmia certa bonis.
Percute mortales, cristatos deprime, noscant
Quod non sint Diui: sit cinis ante cinis.

Paraphrasis in Psal. 24.
Dömini est terra.

TErra globosa, poli duplici cum cardine celsi,
Sunt domini, & quotquot corpora, mũdus habet.
Ille in principio super æquora vasta locauit,
Fecit & omne super flumina lata solum.
Quis verò supera vitam traducat in arce?
Siue quis æthereas possit adire domos?
Scilicei innocuus, nec iniquo turbidus æstu,
Et quisquis veros proferet ore sonos.
Hic benedicetur diuino numine plenus,
Dignus erit tanta commoditate frui.
O incrementum Iouis, ô generosa propago,
Quæ vultus cupida est, O Deus alme, tui.
Exere porta caput, vastum caput exere claustrum,
Este fores patulæ, rector honoris adest.
Quis rex iste rogo? quis clari rector honoris?
Ipse potens dominus, belliger ipse Deus.

24608

Paraphrasis in psal. 27.

Porta patens esto, caput erige ianua vastũ,
Tolle seras, vectes, rector honoris adest.
Quis rex iste nouus? Quis clari est rector honoris?
Ipse exercituum, militiaque Deus.

Paraphrasis in Psal. 27.
Dominus illuminat.

QVis mihi terrores infligat barbarus hostis?
Quum Deus est vitæ lumen, & vna salus?
Quis patrias oras infestâ strage replebit?
Quum pater omnipotens, orbis & vrbis honos?
Non mihi fundatur leuiter fiducia tanta,
Non amor imbellis, non dubitata fides.
Nam simul ac patriæ tetigerunt littora turmæ,
Huc contenderunt & numerosa cohors,
Vt mea per totos discerpant viscera fines,
Per natale solum nostraque membra vocent.
Illa prehensa cohors propriâ mox fraude, ruerunt,
Persoluens pœnas altitonantis ope.
Quamuis innumeræ repararint castra phalanges,
Prælia gessuræ Marte, vel arte, noua,
Non tamen impauidos rigidus pauor occupet artus,
Nec forti flectar robore, siue minis.
Vnum quæsiui, quod in imo corde repostum,
Inseparabiliter nocte dieque manet.
Scilicet æternúm cœlestis vt incola Regni

Sim,

Sim, fluit vnde tuo vita beata choro.
Scilicet vt Dominum iustis contempler ocellis,
Scilicet vt tollam laudibus acta Dei.
Dum caput obsideant millena pericla, sub alis
Mirificè retegis (Christe benigne) meum.
Hinc propugnaclum venit, hinc victoria paruis
Vulneribus, paruo & sanguine parta mihi.
Ergo litabo preces, ergo tibi vota rependam,
O pie lætitiæ fons, & origo meæ.
Non Deus aduersus, nec inexorabilis esto,
Currat ad auditus quando querela tuos.
In te speraui, vultus auertere noli,
Quos toties petij mente videre sacra.
In barathrum seruum ne deijce, percitus ira,
Rebus in oppositis, nobile numen ades.
Irati miserum me destituere parentes,
Sed vice tu patris, tu mihi matris eras.
Rectos pande gradus, per quos tua iussa capessam,
Hostis ne me per dæuia pellat atrox.
Ne quoque pontificum turbæ ferar obuia præda,
Quæ concors animi, verba probrosa pluit,
Verba probrosa pluit, deusatæ grandinis instar,
Rudit, & horrificas fundit ab ore minas.
Obrutus vndisonis pelagi citò fluctibus essem,
Ni bona sperarem viua videre poli.
Mens tamen, ô fœlix esto, dum fortiter iustes,

Legi-

24608

Legibus & superûm dum venerere patrem.
Suggeret is Charites, cœlestes suggeret artes,
Fulciet & contra te mala mille manu.

Paraphrasis in psal. 30.
Benedicam Domino.

GRandibus elogijs Dominum celebrabo, decusque
Eius inhærebit semper in ore meo.
Spiritus applaudet, persoluens vota Iehouæ,
Et modulans resonâ pragmata mira chely.
Dux exercituum nostrorum contudit hostes,
Contudit Hispanos, agmina multa, Deus.
Audiet electum genus hæc, & honoribus amplis
Ardua sidereum tollet ad astra Ducem.
Euge Ducem, populi, moneo, laudate Britanni,
Euge, ducem, mecum magnificate Deum.
Poplitibus flexis, tensis ad sidera palmis,
Ac ades petij supplice corde sacras.
Prome, pro vobis prisco de more litaui
Mille preces, istas imbibet aure Deus.
Illius & iussu mihi descendebat ab orbe
Empireo prapes nuntius, absque morâ.
Me, populosque inter tot dura pericula Martis
Eripuit, perdens agmina dira manu.
Plebs, quam suauis odor Domini est, gustato Britãna
Labris, quam iustus luminibusque, vide.

O fortunatum, qui semper ruminat altâ
Mente creatoris dogmata recta sui.
Sancta cohors, Domini mandata capessito sancta,
sic tibi sors nunquam perniciosa foret.
Dives eget, medijs sitit & quasi Tantalus vndis,
Sed sancti vitæ flumina labra rigant.
Vos sancti, monitis aures aduertite nostris,
Dictis erudiam pectora vestra Dei.
Viuere si cupitis longissima sæcula, verba
Falsa cauete loqui, vel laqueare dolis.
Ne mala committant, compescite membra catenis,
Sint vobis cum æpax generosa domi.
Aspicit omnipotens oculis mortalia iustis,
Auribus illorum votaque fusa bibit.
Ast in sacrilegos vehemente efferbuit irâ,
Istos iuratus obliterare citò.
Rebus in aduersis dominum pia turba vocauit,
Affuit extemplo, suppetiasque dedit.
Diuersis subiecta malis est vita bonorum,
Patronus fortis, sed prope Christus adest.
Ossibus antidotum Mithridatis, grata ministrat
Pharmaca, nec longo tempore læsa manent
In malefactores inimicos bella mouebit,
Fulminibus quatiet tectaque celsa feris.
Impetet Hispanos, nos & defendet amicè,
Hactenus vt, miseris denique mittet opem.

24608

Paraphrasis in Psal.40.
Deus refugium.

RObusti nobis Deus est muniminis instar,
Anchora in ærumnis, spes, & amicus adest.
Fertilis horribili quatiatur fulmine terra,
Montis in Oceanum commoueatur apex.
Cærula cerulei desæuiat æquoris vnda,
Et strepitu rupum culmina celsa ruant.
Hispanique gerant iterum noua bella feroces,
Non tamen horrorem mentibus ista ferant.
Exhilarant vrbes, Neptunia regna, Britannas,
Exhilarant nostri regia templa Dei.
In medijs habitat regnorum, conspicit acta,
Auxilium reddit militibusque suis.
Hostica turba furunt, lachrymas dat Iberia victa,
Is cum fulmineos edidit ore sonos.
Iubila perfundat numerosa Britannica pubes,
Ter clametur io, ter repetatur io.
Dux exercituum viles calcauit Iberos
Sub pedibus, læta, plaude iuventa, vice.
Vos ô Christicolæ, Domini benefacta notate,
Quomodo vipereum perdidit ense genus.
Qui facit in toto frigescere prælia mundo,
Bombardas, bigas, spicula, tela terit.
Sis tacitus Gerion, dominum mulcete gygantes,

Votis

Paraphrasis in psal. 48.

Votis sit cunctis pax stabilita locis.
Robusti nobis Deus est muniminis instar,
Anchora in ærumnis, spes, & amicus adest.

paraphrasis in psal. 48.

Magnus Dominns

TOllamus Dominum laudibus inclitum
In templo altisonis rupe Sioniâ,
Quâ terra resonant obuia gaudia,
Quâ stellæ auricomæ Parthasiæ iacent,
Hîc vt conspicua est cognitus Helice,
Fixa in Zodiaco stella potens, Deus.
Terrarum domini conueniunt simul,
In nos papicolæ, Cerberus & Cacus,
Ædes Cœlicolæ vt Principis impetant,
Vt nostram spolient fortiter insulam,
Horror sed subitus pectora perculit,
Ringunt, inque suos conijciunt pedes,
Sicut parturiens fœmina morbida,
Sic ægri Herculea depereunt manu,
Naues atque Tonans per pelagum vagas
Tempestate, Noto, fulgure dissipat:
Pro nobis validè pugnat, & opprimit
Hostes, nec patitur tangere patrias
Oras, tam facilis, tam pius, & bonus,
O æterne tuis rector es omnibus,

24608

In fines tua laus peruolat vltimos,
Mundi dextra tua est iustitiâ grauis.
Hydra quòd reprimas colla, Sionius
Mons gaudet, pariter gestit, & Anglia
Nomen concelebrans perpetuum tuum.
Conspectate chori mœnia regia,
Turres in numeros ferte Sionias,
Tectorumque situs dicite filijs,
Hæc vt commemorent mira nepotibus,
Et tollant dominũ laudibus inclitum.

FINIS.

Speculum humanę condicionis, in memoriam patris ſui chariſſimi Gualteri Vaughanni Mariduneńſis, armigeri:

Editum

Operâ et ſtudio Gulielmi Vaughanni F.

Ouid. lib. 2. faſtor.

Eſt honor, et tumulis animas placare paternas,
Parvaque in extructas munera ferre pyras.

LONDINI
Apud Georgium Shaw typographum.
1598.

2468

In obitum clariſsimi viri, Gualteri Vaughanni Maridunenſis, Armigeri.

FLebilis inſolito marceſcit Cambria luctu,
Orbaque luminibus, terra fit ęgra, ſuis.
Morte tuâ (Vaughanne) nouũ tua Cãbria vulnus
Accipit: et mordet viſcera noſtra dolor.
Viuus eras Patrię pater alter, gloria, ſplendor,
Cogitur at ſplendor, te moriente, mori.

Iohannes Williams Maridunenſis, ſacrę Theologię Doctor, & publicus in Academiâ Oxonienſi profeſſor.

Ornatiſsimo, ſpectatiſsimoque viro, D. Gellio Meiricio, Equiti aurato: Speculum hoc humanę condicionis, Gulielmus Vaughannus conſanguinitatis & amoris ergô dedicat conſecratque.

ANtimachus Poeta, cum Lydiam vxorem ſibi chariſsimam morte amiſiſſet, tractatiunculas, tum ſolutas, tum ſtrictas animi demulcendi gratia cõpoſuiſſe dicitur, in quibus ergaſtulares curas, et tortuoſas moleſtias, quibus vita humana invndatur, tam graphice depinxit, vt earum commemoratione pectoris ſui ſymptomata, et ęgritudines breui temporis interuallo lenierit, deterſerit, profligauerit. Conſimili ratione, ego, opinionem meam de mea calamitate, & mærore, ob Patris mei chariſsimi immaturum obitum: & perplexas huius vitę ęrumnas hîc tanquam in ſpeculo enucleaturus, tuis auſpiciis (ornatiſsime Meirici) mirum in modum conſolor, erigor, reuiuiſco: Quamuis erectior ſtetiſſet mea ſpes, ſi non cecidiſſet Pater meus; ſed quid male ominor cecidiſſe meam ſpem? Stat mea ſpes, & erecta ſtat in patre meo. Stat in te (ſpectatiſsime Eques) quem patris loco, ſummo amore, cultu, & obedientia proſequor: tam arcte tua in me humanitas me tibi de-

24608

uincijt, vt eius idea cum ex mente mea euaneſcat, meijpſius tum ipſe obliuiſcar. Interea, ſpeculum hoc, quo vitę huius lubricitas, mortis horror, eiuſque deinde honores ſterili verborum circumductu exprimuntur, tuę tutelę committo.

*E*legans eſt illud Plutarchi Cherorenſis exemplum, *Sicut qui argillam tractat, fingere ex ea animalis formam poteſt, rurſumque diffingere, iterumque ac quoties libet, perpetuo vices iſtas repetere: ſic etiam natura ex eâdem materia olim auos noſtros, poſtea patres protulit, deinde nos, et deinceps alios ex alijs euoluet: ac fluuius ille ortus noſtri abſque interniſsione labens nunquam ſubſiſtit: ſicut et interitus flumen huius contrarium, ſiue is Acheron, ſiue Cocytus à Poetis appellatur.* Perquam fatui, tamen & deliri nos ſumus homunculi, qui mundanis illecebris ita ineſcamur, vt nos eſſe mortales fere ignoremus, ni vel diuini iudicij baculo admoniti, vel plagis oppreſſi, miſerias humanas in noſtra carne experiamur. *S*ic Simonides Ceus in quodam conuiuio, Pauſanię Spartano regi (qui vna epulabatur) de rebus a ſe geſtis ſubinde glorianti, tandem & illum per irriſionem hortanti, vt aliquid ſapienter ex intimis Philoſophię penetralibus deſumptum ipſum admoneret: *Moneo*, inquit, *Vt te memineris hominem.* verum Pauſanias ſuperbia inflatus,

flatus, eo quod ad Medorum partes se applicuisset, & elatus ob hospitij ius, quod ei cum Rege intercedebat, Simonidis dictum contempsit. Paulo post proditionis conuictus, cum Ephori eum deprehensuri, et in carcerem ducturi essent, in Palladis asylum confugit: vnde cum religio esset non vi vllum deducere, decreuerunt Ephori, in eo inclusum ad mortem fame compellere, templi fores obstreuentes. In ista angustia constitutus Pausanias, iam fame ac frigore moriturus, verborum Simonidis recordatus, ter Ceum hospitem inclamauit, et *quam insidiosa* inquit *sit hæc nostri obliuio illis, qui rerum in hoc mundo potiuntur*. Sic Cræsus a Cyro Captus, sic Alexander magnus ab hoste vulneratus, sic Antiochus tyrannus immundo & lethali correptus morbo, et quamplurimi alij oculos tandem aperientes, mortales seipsos esse cognoscebant. huiusmodi homines non stultis illis sunt dissimiles, qui in fluminis ripa consedentes, cum pedes quisque suos sociorum pedibus coniunctos in aquam dimisissent, et iam surrecturi essent, dubitare cœperint, ad quos singuli pedes attinebant: donec transeuntis cuiusdam scipione percussi, suos vnusquisque pedes, verberum scilicet ictibus contactus, ad se traxisset.

24608

Perpende igitur, ô homo, calamitosam vitę tuę condicionem, tot malorum generibus distractam, & tam ambigua viuendi lege districtam: teipsum penitius introspice: Quid aliud es? nisi transiens viator, temporis phantasma, noctis habitaculum, spiritus receptaculum, loci hospes, mancipiũ mortis? longęuam expetis vitam? diuturnum certe carcerem. habitum corporis elegantem? libidinis aculeum. opes innumerabiles? sarcinam ex tribulis. *Cupis dissolui corporeis vinculis, & esse cũ Christo?* ô optimam electionem. ô iucundissimam optionem, verisimum est tritum illud naturalium philosophorum axioma, *Quicquid ex elementari coagmentatione concretum est, dissipabitur.* Ideo fabulantur Poetę Saturnum coeli filium natos suos deuorasse, vt sub hac fabula omnia morte conteri planius demonstrent. vnde *Seneca* Poeta,

Quid ista tandem cura proficiet tua?
Vbique mors est: optimè hoc cauit Deus.
Eripere vitam nemo non homini potest
At nemo mortem: mille ad hanc aditus patent.

tam ineuitabilis est eius rota, tam multiplices insidię, tam subitaneus aduentus. Homines autem nefarios & profligatos non aliter morte futura contremiscentes invenies, quam ad carnificinam, homicidas; ad securim tribunorum, rabulas. ad Tullianum,

lianum, decretorum violatores. ſed ad materię calamiſtrum, blaſphęmiam Diuino nomini invris? mors tibi ſycophantę, tanquam carnificina affixa eſt. Securim Dei negligis? mors tibi proditori, tãquam ſecuris imminet. Prȩcepta Dei violas? mors tibi violatori, tanquam Tullianum ergaſtulum excitatur. Sed vt hoc ſubiectum paulo altius attingam, neque invtile, neque iniucundum fore arbitror, hic loci de totius peregrinationis noſtrę curriculo, de ingreſſu, progreſſu, et noſtrę vitæ egreſſa quædam admonere. Cum primi noſtri parentes in Deum peccarunt, mors per eorum peccatum in nos inuecta eſt, vna cum maculis, & corporis morbis, qui ſunt mortis ſatellites, per quos nos adoritur.

Hinc dolor, hinc illæ lachrymæ.

Qui creatus fuit vita innocens, ratione ſapiens, & Dominio potens, iam per delictum in extremam redactus eſt anguſtiam: tot periculis & incommodis, publicis & priuatis circumuallatus, quorũ moles & ferocitas nec ſenſibus percurri, nec lachrymis ſatis deplorari poſſunt. Sed quis in humani generis miſerrimam conditionem, quis in animi horrores, in corporis tormenta, quis denique in ęrumnas magnitudine tam admirabiles, multitudine tã innumerabiles, quibus mortales exponuntur, torquẽ

2468

tur, et onerantur, intueri poteſt, qui non ſolum animo commoueatur, verumetiam toto corpore ſtatim cohorreſcat? vita hęccine eſt? vita non eſt, ſed mera vanitatis vanitas, calamitatis calamitas. perbelle ergo Seneca philoſophus. *Si velis inquit veritatem altius intuentibus credere, omnis vita ſupplicium eſt.* Prętera quemadmodum homo ſpiritu et corpore conſtat, ſic ſpiritu et corpore, miſerijs et vitioſis affectibus ſubijcitur: ſpiritus irę, inimicitię, metui, ſuſpicioni, diffidentię, ignorantię, errori, et huius farinę innumeris paſsionibus obnoxius eſt. Ad corpus quod ſpectat, nulla eius pars eſt, quę non ſingulares habeat morbos: taceo magnos illos a quibus homo inuaſus, omnibus membris eneruatur, omnibus viribus priuatur, vel diu in grabato decumbit, et intabeſcit, vel confeſtim vitam cum morte commutat. Prætereo fœdum illum morbum, Neapolitanum ſeu Gallicum nuncupatum, a quo omnes abhorrent: quicumque enim iſto morbi genere infeſtatur, eo adducitur, vt ſibi ipſi nauſeæ fit, vt neque dormirre, neque alimẽtum accipere poſsit. corpus putrefactioni ſemper ſubditum, eſt ſolutioni proximum, et morti opportunum. Quid eo fragilius eſt? nihil quidem magis vitreum, nihil magis fictile: Hinc capitis cruciatus, oculorum vlcera, tremulę manus, neruorum reſolutio; hinc cauſonęs, peſtes, hydropes, aſtmata, epi-

lepſię, podagrę; hinc innumerabiles ęgritudinum ſpecies profluunt. vnde

Vita quid eſt hominis? niſi vallis plena malorum?
Principio, medio, fine dolenda ſuo.

Propone ante oculos tuos ſingulas ętates, et quam caduci, quam natura imbecilles ſumus tibi partim illuceſcet. Quam miſerandus eſt ortus noſter? orimur flebiles, debiles, et parum a brutis diſcrepātes imo diuerſo reſpectu ipſis inferiores, illa enim illico vt in lucem eduntur, gradiuntur, ſolus homo non ſolum erectis pedibus non incedit, verumetiā curuatis manibus non reptat. et quid aliud eſt tenera infantia, quam continuus luctus? quam perpetuus eiulatus? De molli pueritia quid referam? quę an ętas ſit appellanda, dubitationibus totus fluctuo: Quando enim in hoc tempore fuerimus conſtituti, quid eſſemus, vbi viueremus, aut quo modo ea, quæ ad vitæ victum conducunt, compare mus, ſtationis omnis incerti plane ignoratiimus. Quam lubrica eſt cærea pubertas? quam moroſa anguillaris iuuenta? nunc lenonum tineâ iuuenis irretitur nūc Bachanalib. inebriatur, modo phreneticus p vicos inſanit, modo lecto incūbit venere inflāmatus, nec tamen dormiat, nunc hac diſtrahitur, nunc illac, *Puluinar mediū neſcit habere locum.*

Inde tunicam virilē induit, technis tamen illaqueatur, et inſidijs implicatur; nunc illum aggre-

ditur

ditur poſſidendi cura, nunc amittendi metus, nunc amicis & liberis ſe orbatum eſſe moleſte fert, numen irritans lachrymis ; vltimo,

Obrepit tacito curua ſenecta pede.

Caput incaneſcit, rugatur facies, contrahitur cutis, foetet anhelitus, caligant oculi, vacillant articuli, nares effluunt, et crines defluunt, dentes putreſcũt & aures ſurdeſcunt. O infoelicem ſenectutem, quã tot incommoda circumueniunt. O hominem vere mortalem. Quem queſo non vexauit vel ſtimulus concupiſcentię? vel reatus conſcientię? quem non turbauit vel ſapor amaritię? vel fungus inſolentię? nuſquam pax, nuſquam ſecuritas: vbique fax, vbique ſecuris : vndique circundat Mars, vndique mors : vndique circumit dolus, vndique dolor : a mundo & a carne, a Satana et ab homine quotidie perturbatur. Mundus enim cum elementis et caro cum ſenſibus : Satanas cum aſtutijs & homo cũ armis nos continuo debellant. Vnde Æſchilus noſtram vitam fumo aſſimilauit, Varro bullę, Crates foeno, Socrates peregrinationi, Epictetus torrenti, Pyndarus vmbrę ſomnio, Petrarcha glumę, quam exagitat ventus, alij eam eſſe vas ſterquilinij, & cõcham vermium plenam, alij denique illam Lunę eſſe ſimilem, quia augetur & diminuitur. Euripedes vero noſtrę vitę iucunditatem vno duntaxat

die

die durare, & tum extingui dicit; sed Demetrius Phalereus Euripedem redarguens, quod tam longum tempus pro humana foelicitate posuisset, hãc ipse non vno die, sed potius temporis momento consistere existimat. hinc Democriti in Abderitas risus, hinc Heracliti in genus humanum fletus. Nihil in rerum natura est firmum, nihil stabile, nihil in eodem statu permanens, sed omnia veluti quadam rota circumuoluũtur varias quotidie vicissitudines afferente. nulla turris altitudine tam excelsa est, pulchritudine tam mirifica, quam longinquitas temporis non terræ exæquat. Conspice huius sæculi accidentales paroxismos, conspice gentes gentibus, imperia imperijs collisa. Conspice mendicos sine motu, sine viribus tanquam trũcos iacere, conspice colorem leucopæum, os spuma plenum, collum extenuatum. O vita fallax quę quanto magis floresçis, tanto magis aresçis, quanto crescis, tanto decresçis. huic astipulatur illud, quod de Saladino Babilonis Sultano scribitur, qui cum extremum vitæ terminum appropinquasse videret, suo vexillifero ad se accito, moribundus inquit, *Qui meum in bello signum militare portare consueuisti, nunc & meæ mortis vexillum deportato, quod est pannus iste vetustate ferè consumptus, & voce magna clamabis per totam Damascum, dicens: Attendite,*

totius

24608

totius Orientis Imperator moriturus, ex omnib. Asiæ victorijs hoc tantum trophæum sibi reseruat. Gerebat autem pannum attritum hastæque infixum, cui sepeliendus iuuoluereturr. Cur rogo exalbescis? cur vt paraliticus cõtremiscis? non mors tibi extinctionem sed communionẽ affert loci. Quid optabilius, quam in peregrinatione tua obdormiscere? Inspicito natiuitatem tuam, inspicito necem, in hac tristitia, feretrum, puluis, vermis, in illa cantus, integumenta, vigor, deliciæ: Quid aliud sunt, quam labeculæ, quibus mortem aspergis? quam botri, quos adiungis vitæ? ô pectus nubibus obuolutum. nonne cantus, qui in natiuitate tua iterantur, in sanctorum natiuitate absunt, iterantur in nece? nonne integumenta, quib. in tua natiuitate vestitus es, in sanctorum natiuitate remouentur, in nece superstunt? nonne vigor, quo in natiuitate tua corroboratus es, in sanctorum natiuitate deficit, in nece apparet? vt Petrus supinus ad crucem, Laurentius in craticula, aliisque laminis ignitis. nonne deliciæ, quæ in tua natiuitate luxuriant, in sanctorum natiuitate consistunt, in nece luxuriant? nonne in tua natiuitate lamentationes, in sanctorum vero nece triumphi celebrantur?

Herodotus refert *Trausos, gentem Thracibus permixtam et Getis lachrymis recens editos excipere, sepeliendos*

peliendos gaudio proſequi ad ſepulturam. quod quidem egregium factum, ſi in cogitationis tuæ medulla reponas, non fabricam corporis tui deleres, nec vitales ſpiritus conſumeres: veruntamen non me latet, naturam rerum omnium creatricem, a primis ipſis vnguiculis vehementem in animo humano affectum impreſſiſſe, ſenſum eum ſpiritu tam arcte combinaſſe, et mutuas inter ſe functiones tam cõnenienter copulaſſe, vt a ſenſibus exterioribus ad interiores irrepat metus, ne mors venuſtiſsimam huius compagis ſyntaxin et amicitiam e medio tollat. non hunc metum improbo, quia naturæ eſt, illud tamen improbo, quod tanto metus ob mortis memoriam algore ſis circumuentus, quaſi in eâ nihil ſit niſi triſtitia, feretrum, puluis, vermis. Hoc non eſt reſurrectionem exoptare, hoc non eſt gaudium ſempiternum ſperare. eſt in morte triſtitia ſed triſtitia ad gloriam. eſt feretrum, ſed feretrum ad immortalitatem. eſt puluis, ſed puluis ad animi maculas eluendas. eſt denique vermis, ſed vermis ad gaudium. Cur igitur ad mortis nomen palleſcis? cur triſtitiam, feretrum, puluerem, et vermem metuis? Rectiſsima ſunt illa Platonis verba, Ipſæ *ingentes calamitates ac aſsidui dolores in hominibus oſtendunt hanc præſtantiam animi non*

tam-

24608

tantum modo ad has miseras,& ad hunc tetrum carcerem nasci: sed restare alium portum, in quo bonus animus acquiescet,et lætabitur sapientia & virtute. Mors est, quam exuimus. vita,quam induimus.fuit mors causa delicti, habuit effectum. fuit mors, instrumentum Dei in homines nefarios, habuit energeiam. fuit mors poena criminis Adami, habuit triumphum. *Plantatur mortale, sed metitur immortale.* Cur igitur trepidas? non tanta in mortis effectu est efficacia ad extinguendum: non in energeiâ stimulus ad perforandum:non in triumpho authoritas ad euertendum. immaculatus agnus pro te veluti hostia ad aram cecidit:imo cecidit,sed sic vt cadendo resurgeret, superaret, triumpharet: ita est diuersitas coetanea delectationi, ita delectatio diuersitati, vt quorsum oculos tuos conuertis, vel diligas delectationis diuersitatem, vel delegas diuersitatis delectationem.quamuis princeps ille mũdi sacrilegus, hîc quasi in triumphi rhedã impositus,omni peragrata regione,hunc ferro,illum cruce, omnes morte surripiat, laurumque reportet: Christus tamen extorto lauri vexillo illum vicit, mortisque musculos fregit; vicit, vt Golian propria sica Dauid; vicit,vt beati omnes vitiosis contagionibus soluti, coelestibus perfruantur solatiis, quæ nulla vnquam sæculi circumscriptione terminentur,

nentur,

nentur, nulla graſſatoris rabiē confundantur. O victoriam admirabilem, cuius admiratione totus gaudio admirabili ſum delibutus. O ſolatia, quorum cogitatione, vt alter virbius reuiuiſco. Quid ergo capillos lacerare, quid vnguibus notare genas, quid lachrymis oculos excæcare proderit? non malo preterito medicinam præſentē invenias. Nam

Siquid remedij lachrymæ afferrent malis,
Minorque ſemper fieret lugenti dolor,
Auro parandæ lachrymæ nobis forent,
Sed nil tibi iſtæc proſunt, res ipſæ nihil
Mouentur iſtis, ſiue tu ſemper fleas,
Seu nunquam, eandem pergere inſiſtent viam,
Quid his iuvamur ergo? nil certe. at dolor,
Vt ipſa fructus arbor, ſic lachrymas habet.

2468

Epicedium in obitum patris ſui chariſsimi, Gualteri Vaughanni Maridunenſis, armigeri.

VNica, Chriſte, dei ſoboles, qui cæde peremptus,
Vlcera curaſti noſtra cruore tuo.
Qui ſudauiſti thrombos, qui patris et iram
Placaſti, clemens huc ades, agne Dei.
Lugeo dum patris dilecti funera, vires
In tragicos verſus ſuggere quæſo meas.
Te ſine frigeſcit vatis labor irritus omnis,
Te ſine, quæ temerè molior orſa ruent.
Fons et origo, pater, ſtudiorum ſumme meorum,
O decus, o animæ portio ſumma meæ.
Quo duce, Caſtalijs ſuccos e fontibus hauſi,
Olim Pegaſeus quos pede fodit equus.
In quo ſpes, ſolo mea ſola locata quieſcit,
Heu ſpes, legitimum concidis ante diem.
Concidis, et veluti turtur pro compare mœrens
Defunctâ, natus flet tua buſta tuus.
Si Daphnim recubans ſub fagi tegmine, luxit
Tytirus extinctum morte feroce, ſuum.
Trinacrius vates, ſi carmine buſta Bionis
Deſleuit, Naſo ſiue Tibulle, tua.

Si

Si Mæcenatis plorauit funera vates,
Siquis et Auguſti de nece dicta dedit:
Si deplorauit genitoris funera Iacob,
Fletibus vt madidis commadefactus aquis:
Si pius in lachrimas Ioſephus agente Canopo,
Exequias ſoluit, iuſta ſuprema patri:
Me (pater alme) tuo nullos in funere luctus
Edere res eſſet comemoranda palam.
Quem ſic infœlix Maredunum luget ademptum,
Vt ſobolem mater deperiſſe dolet.
Sic defleuerunt quondam Phaetonta ſorores,
Dum preſſit præceps infima ſtagna Padi.
Quid loquar Amramidem? ſiccis, quo principe, plãtis
Iuere Iſacides per vada fiſſa maris,
Funere defleri longo poſt tempore raptum?
Illis ſolamen nec potuiſſe dari?
Memnona ſic Aurora Thetis ſic fleuit Achillem,
Occiſus Paridis cum malè fraude fuit:
Haud aliter ploro te te (pater optime) raptum,
Dum radicalis poſſidet oſſa calor.
Lethæas vndas traherem licet aridus ore,
Non poſſem vultus non meminiſſe tui.
Nec benefactorum venient obliuia nobis,
Aureoli Luci dum domus alta manet.
Retrogradus Tobij fluuius labetur in æquor,
Ac erit abſque ſuo Pïeris Hybla thymo.

Ox-

24608

Oxoniam musæ, Maredunum fama relinquet,
Et canis in cancri feruidus axe ruet.
Non hæc ficta: prius linquent Helicona sorores,
Quam patrio pereat laus tua nata solo.
Laus tua non vnquam tenebrosa nocte premetur,
Illa sed inuitâ nocte perennis erit.
Sim cautes, adamas, lignum vel invtile, facta
Si tua non nostra mente reposta manent.
Mente reposta manent, hac dum mihi vescier aura
Per trinas liceat, fata seuera, deas.
Hinc macero partes omnes prope corporis huius,
Cor, iecur, & cerebrum, dum tua busta gemo.
Nec crocodilorum sunt hæc suspiria nostrum,
Non fluit ex oculis guttula falsa meis.
Anxius assiduis tabesco doloribus intus,
Nec mea deficiunt exteriora minus.
In lachrymas virtus genuina resoluitur omnis,
Vertar vt in cinerem, qui cinis ante fui.
Te gemo defunctum vita, cum Phosphorus vndis
Exit Atlantiacis incipiente die.
Te gemo defunctum, cum sero vespere Titan
Lassus anhelantes in mare mergit equos.
Te gemo defunctum, gemo te sub nocte silenti,
Cum micat in summo Parthasis vrsa polo.
Quis modo te (genitor) me conseruabit, adempto?
Dum mala præmeditor sortis iniqua meæ?

24688

Proxima tu mentis pars, tu lux, robur, asylon,
Pro multis fautor tu mihi solus eras.
Tu mihi solus eras Mæcænas rebus in arctis,
Et propugnator tu mihi solus eras.
Quò miser effugiam? quò quò mœstissimus ibo?
Omnia, te rapto, sunt mea rapta, pater.
Me quoties monitis, quoties & amore fideli,
Suasisti Aonidum musica castra sequi.
Ah quoties memini, licet hæc meminisse noceret,
Te mihi pollicitum magna fuisse bona.
Ah quoties dixti, fili Gulielme, beatè
Discito dum fas est viuere, disce mori.
Sedulus instar apis, scrutator seminarerum,
Nec te pœniteat præterijsse iugum.
His monitis aures arrexi, parca sed (aleph)
Te (genitor) rutilo sustulit atrapolo.
In medio, nautam horribilis Iouis ira trisulco
Fulmine concussit me pharetrata, mari.
O si lustrassem immanes prius hospes arenas,
Qua Diomedæis Thracia gaudet equis.
Siue essem pulsus rigidos inuisere Bessos,
Sauromatas, Mauros, Symplegadosque sinus.
Dummodò barbaricæ neuissent fila sorores,
Atropos ista diu nec secuisset atrox:
Tædia non faceret distantia longa locorum,
Dulce videretur grande laboris onus.

Sed quid ego vanis inceſſo fata querelis?
Verba quid incaſſum triſtia fundo miſer?
Cum pater in tenues meus haud euanuit auras,
Viua ſepulchrali nec iacet vmbra ſpecu.
Spiritus ad ſummi ſtellata palatia cœli
Tranſijt, inque Abrahæ viuit, ouatque ſinu.
Tempore nocturno, veluti cum forte viator
Carpit iter, medijs errat & exul aquis:
Aut cadit in foueam, ſpinis aut læſus acutis,
In dumeta ruit rurſus, & alta loca:
Sed quando inuehitur roſeis Aurora quadrigis,
Carmina mille canit, iubila mille ſonat.
Sic tu, dum vixti (genitor chariſſime) mundo,
Anxiferi fractus mole laboris eras.
Nunc autem, mens læta, viges, mala tormina mundi
Deridens, domini conſpicis ora tui.
Fœlix ô nimium fœlix, immunis & atræ
Es necis, ætherei quem tenet aula poli.
Nos at eremitas lue, bello, peſte, dolore,
Et fame vallatos ſors truculenta premit.
Tu tamen hæc remis ſuperaſti monſtra ſecundis,
Sortis & aduerſæ victa trophæa geris.
Nos rabiem experti Scyllæ, prope mergimur vndis,
Paſſuri que malis his grauiora ſumus:
Sed pax eſt Chriſti tibi parta perennis agone,
Eſt tibi Meſſiæ ſanguine, parta ſalus.

24608

Gratulor (alme pater) tibi tanta in ſede locato,
O decus, ô animæ portio ſumma meæ.
Plangite vos collis tamen ô Heliconis alumnæ,
Edito ſigna Charis non adoperta triplex.
Siqua parentales meruerunt carmina manes,
Si delectantur verſicolore melo:
Plangite Pierides veſtitæ veſtibus atris,
Plangere vos Chriſtus, verus Apollo iubet.

Muſarum planctus.

Calliope.

VT matutino, roſa quæ diffudit odorem
Tempore, flacceſcit radijs ſolaribus vſta,
Idaliâ ſpecie amiſſa, cum veſper olympo
Dilapſus, piceas infert mortalibus horas:
Sic homo, qui fragiles hodiè ſub luminis oras
Prodijt, amota terreno à corpore mente,
Craſtina carniuoris ſuccumbit vermibus eſca,
Scilicet in ſcenam velut hiſtrio comicus intrat,
Spectatum mundum, a mundo ſpectetur vt ipſe.
Vltima ſic vitæ eſt mors linea, debita merces
Peccati, clades quia cladibus, oſſibus oſſa,
Funera funeribus nullo diſcrimine miſcet.
Nec minus occuluit caligine lampada noſtrum,
Vaughannum Nemeſis, tantoque inuidit honori:

Nunc, hyacinthe, tuum nunc ai ai gramma ſonatur,
Cerylus inter aues gemitus in fluctibus edit,
Signa querelarum mittit quoque Daulias ales.
Eſt locus in primo ſolis gratiſſimus ortu,
Supra ſigna poli, quâ non caua vallis hiatus
Præbet, planities nec tractus fundit, aquarum
Eſt expers, terram non nix & rore pruina
Cana tegunt, dolor omnis abeſt, atque obſita pannis
Pauperies procul eſt, totus cumque ignibus axis
Phœbæis flagrabat, erat locus ille quietus:
Cumque Deus quondam mergebat fluctibus orbem,
Deucalionæos curſus ſuperabat aquarum:
Non odor ingratus, non illic peſtilis aura,
Aurea fœlicem depingit gratia campum.
Non huic Alcinoi nemus, Heſperidum mue roſare
Exæquare potes, vincit Pæneïa Tempe,
Eliſioſue locos, ſi ſit quoque gratior iſtis,
Exuperat longe paradiſum, vocibus altus
Angelicis polus ipſe ſonat, nec talia ſæclis
Gaudia depereunt vllis, a numine trino
Maius robur habent: ô terque quaterque beatum,
Qui ſedem aſcendit tantam, qui ſceptra Tonantis
Tangit, & ambroſiam, qui mannam libat in orbe
Empirei cœli: quoties, Vaughanne, beatum
Te numerabo, Dei qui conſpicis ora ſupremi.

Terp-

24608

condicionis.

Terpſichore.

O Homines, homines, quæ vos crudelis Enyo
Faſcinat, eijcitur cur pius exul amor?
Quæ mala non agitis? quæ non committere prompti
Flagitia audetis? proh male-ſana fides!
Barbaries nunc fœda viget, nunc turpe ſoleucon,
Plutus vbi loquitur, magnus Apollo ſilet.
Proh ſcelus? heu ſacram premit obſidione cateruam
Mars, & vir tutis præmia miles habet.
Miles habet (pia Diua) tuæ ſpolia inclita turbæ,
Si nihil attuleris, magna Minerua, vale.
Dentibus in vates ſubſannat mobile vulgus,
Et ſumus Aonides fabula nota foro.
Nullus ad eſt Dominus, qui reptas erigit odas,
Nullus qui nobis, auxiliatur, adeſt.
Pagani cauſa eſt numiſmatis vſus abuſus,
Commoda quanta tenet, commoda tanta cupit.
Sed Vaughannus erat iubar, & lux inclita noſtrûm,
Dum vixit, miſeris dulce iuvamen erat,
Dulce iuvamen erat, dulcis dux, dulcis alumnus,
Dulcis ſpes, dulcis gloria, dulcis honos.
Et niſi iam patulas animam exhalaſſet in auras,
Gymnaſium nobis conderet ille nouum.
Nominis vnde ſui volitant præconia paſſim
Quæ nox nulla nigret, ſtellula nulla fuget.
Hinc gemit, & Cyrrham querulis vlulatibus implẽs,
Phœbus in illius buccinat ore decus.

Ah gemit, & tumulum excerptis beneolentib. ipſum
De paradiſiaco, floribus, ornat agro.
Ingemit, & numeris pangens epicedia claris,
Increpat imbelli pollice plectra lyræ.
Funera quiſque gemit, quocunque & lumina flectis,
Nil niſi ploratus nil niſi mœſta vides.

Melpomene.

CVm cutis effœto tua laxa cadauere quaſſat,
Helleborum ſerò quæris ab arte, ſenex.
Angelicam fruſtra, fruſtra trahis ore tobaccon,
Per longas valuit cum pituita moras.
Hinc nuper iuuenis deluſit opinio mentem,
Omnibus vt morbis competat vnus odor,
Tene latet multos ad morbos multa requiri
Pharmaca? Galeno conſule, homille rudis.
Sit licet herba potens, hyderique medela, tobacco,
Contra vim mortis nil habet illa tamen.
O fragiles homines! metam non noſtis & horam
Mortis, non noſtis, quas repetetis, aquas.
Sed ſi feralem Stygos irrueretis ad amnem,
Eſſetis piceis præda cremanda rogis.
Hîc cum terribili ſqualore Charonta videbunt,
Et rate tranabunt turba ſceleſta lacus.
Hîc vbi ſaxoſa ſtrepitat cum grandine ventus,

Vapu-

24608

Vapulat hîc rapido turbine dira cohors.
Infœlix captat refugas hîc Tantalus vndas,
Voluis et hîc ſaxum, Syſiphe feſſe, tuum.
Belides vrnas implent, Ixionis orbis
Vertitur, & Tytij membra volucris edit.
Tyſiphone, Alecto, tumulo ſimulachra Megæra,
Functa dolore rotant, functa furore terunt.
Eumenides, Gorgonque furunt hîc, cuius in Hydros
Mutauit crines innuba diua feros.
Mens memorare horret villoſi guttura monſtri
Terna, fores Erebi qui quatit, ambit, hiat.
Nec tot ſunt celſum circumgyrantia cœlum
Sydera, quot pœnas nigra gehenna luit.
Stridet ibi dentes, & ſoluit verbera Pluto,
Verbera non finem, non habitura modum.
Non ibi ſubſannat criſpato Tartara naſo,
Inijcitur verè ſed ſine fine rogis.
Hîc quoque conſpiciet crepitantes ſulphure flammas,
Hîc etiam rapiet torrida naphtha malos.

Clio.

ILla ego quæ quondam doctrix ab origine, viuo
Heroum pinxi geſta colore ſenum:
Nunc pia Vaughanni natalia carmine ludo,
Quis fuit, & qualis, laudeque quantus homo.

Cam-

Camber erat natu, Kiffino ſtemmate clarus,
Stemmate cui nullum crimen inuſſit Eris.
Scilicet eſt aliquid generoſo ſtemmate naſci,
Eſt decus a magnis ducere nomen auis.
Quis non bellacis pronepos fore malit Achillis?
Quam de Therſita ducere ſtemma malo?
Aſpicis? vt proli fera virtus inſit equorum?
Vt mala parturiat coruus & oua malus?
Errat vbi Tobij velocibus vnda fluentis,
Adiacet Aureolus lucus, origo ſibi.
Armiger arma dedit præluſtria, nempe leonem,
Parte priore album, poſteriore nigrum.
Munera cognatis, dum vita ſuperfuit, ampla
Contulit, et miſeris quottidiana viris.
Lazarus haud vnquam diſceſſit ab ædibus æger,
Quin paupertatis turpe leuetur onus.
Orgia perpetuò tempſit Sybaritica Bacchi,
Non coluit latij dogmata falſa Dei:
Hos toto vitans fucatos pectore rictus,
Inſeuit grato ſemina grata ſolo.
Non Harpya fuit (Deus hanc euertito peſtem,
Quæ capit alterius parta labore bona)
Non fuit in pœnas acer, non numina nummos
Credidit eſſe, palam quod mala turba facit.
Non proprias vulgi res commoditatibus vnquam
Præpoſuit, patriæ firma columna ſtetit.

2468

Quid dicam, trutina bene quam libraret honesta?
Si foret in patrio lis dirimenda solo.
Illum ventosi non fama cieuit honoris,
Cui niger est liuor, vel mala sanna comes.
Gnatos & gnatas genuit ter quinque priore
Coniuge, tres tantum posteriore pater.
Queis instillauit veræ pietatis amorem
Rore salutifero, notitiamque Dei.
Queis ne degeneres posthac lux arguat vlla,
Fraternam iussit semper inesse fidem.
Doctrinæ coluit studiosos pectore vero,
Cygnæo tales voluit & ore sonos,
Laus, bona, maior erit quam quærere, parta tueri,
Et dare, sic populi conciliatur amor.
Concelebrare iuuat genialis festa diei,
Namque volubilibus passibus hora volat.
Hora volat raptim, benedicamusque Iehouæ,
Factis facta fides iustificare potest.
Terrea deliri transibit gloria mundi,
Fataque crudeli tempora falce metent.

Vrania.

ADami genus, huc ades, superbum,
Cœli cœrulei tremenda spectra
Erecto, moneo, intuere vultu,

Quæ rerum ſatis omnium ſatorem,
Iratum tibi deſtinant futurum.
Ni ſpurcam properas Baalis aram,
Ignitis faculis, manu minace
Delere, et veniam a Deo rogare.
Nuper nonne iubar Diana fratris
(Myrandum) in medio polo nigrauit?
Anno uon nouus vltimo Comæta
Portendit tremulas, graues, & atras
Clades, bella, famem, luem, tumultus?
Vaughannus ſpecimen tibi ſit horum,
Qui florebat heri, armiger propinquis,
Abſceſſitque hodie armiger Iehouæ,
Quid dicam hoc aliud docere ſignum,
Quam prædicere liberis ruinam
Paruis? qui graue ſentient flagellum
Orbati patre, ni Pater ſupremus
Procuret bene, maximumque natu
Fratrem reſtituat pium, & benignum:
Tu, Vaughanne, tamen, beate, tandem,
In regna æthereæ plagæ es receptus,
Atque exemptus ouas ſiniſtra mundi
Fata ſub pedibus terens, & inter
Cœtus Angelicos ſedens, camœnas
Profert melliſluo Tonantis ore,
Edentes decus inclitum Supremi.

At nos magna manent luis futuræ,
Et pœnæ incommoda, ni pigebit actis
Illum ſacrilegis ciere tantis:
Nam Deus, quoties malos ſolebat
Caſtigare choros, bonos ad aſtra
Tollebat. ſpeculum iuuenta pulchrum
Iſtud mœſta vide, pijs querelis
Mota, publica pœna ne cubile
In tuum ruat illius repente.
Iuſtus iuſta parens ad arma iuſte
Commotus iaculatur atra pila,
Veſtitu ergo nouo induamur omnes,
Et mites veniam precemur vnà,
Vt leges violet ſui ſeueras
Fati: Chriſte, patris ſerena proles,
O vere Emanuel, nigris repurga
Mentes ſordibus, & luis futuræ
Tolle ſemina, pacis ô amator:
Suffulci clipeo tuam Sareptam,
Quæ vero ſonat ore dicta patris,
Et votis ſynagoga diſcet almis,
Te, cultuſque tuos amare rectos.

Euterpe.

QHomo mortalis, trutinâ rationis honeſtâ
Pende tuum finem, principiumque tuum.

Quid

Quid rogo putre tuum, niſi turgida bulla, cadauer?
Et tua forma, velut carbo peruſtus, abit.
Te nihil immenſum complecti vilius orbem
Inuenies, fœtes ſordibus ipſe tuis.
Mittere pus nares, tabemque memento meatus,
Corporis & ſcyllam, nil niſi turpe lutum.
Aſpicis vt plantæ vegetent? vt mille colono,
Cultori referant commoda mille modis?
Aſpicis vt vitulus delectamenta bubulco
Reddat? & vt dulcis ſit ſine ſorde caro?
E regione tui perpende cadaueris alta
Mente ſtatum, formam, materiamque leuem:
Et dices tibimet, nil ſum niſi puluis & vmbra,
Pompa fauilla, decor bullula, fumus opes.
Cur igitur gemmis aurique tumeſcis aceruo?
Non es ſemideus: ceſpes origo tua eſt.
Nunc animã expiras cruce, nũc fame, compede, flãma
Interdum plumbo, fulmine, Marte, ſiti.
Sic diuerſimodis fatis, Acherontis ad vndas
Tranſis, ſic mortis ſpicula paſſus obis
Sic erit ante necem, ſupremaque fata beatus
Nemo, dedit Crœſo talia dicta Solon.
Ergo quid auriflui Pactoli proderit vnda?
Quid tibi marmoreo cardine nixa domus?
Quid tibi proficiet caput exornare tyarâ?
Ambroſys ventrem vel ſatiare cibis?

Quid

24688

Quid thalamos aulaſque tuas velare tapetis,
Quæ toties tinxit murice diues Arabs?
Quid tibi proficiet perfundere odore capillos?
Quidue Dionæo cingere flore tuos?
Quid tibi proficiet dulci indulgere lyæo?
quid tua vel Tyrio membra leuare thoro?
Quid iuuat & cubis res & luſiſſe fritillis?
Quid iuuat omnimodis luxuriaſſe bonis?
Nil iuuat his fungi, totus nil proficit orbis,
Obrepat tacito cum fœra Parca pede.
Nil homo perpetuum dempto virtutis amore
Poſſidet, hanc Cicero protulit ore Theſin.
In medio veluti qui nauigat æquore nauta,
Non timet horrendæ fulmina dura necis:
Cum tamen ad cupidam paulatim tendit arenam
Terminat extremum Marte furente diem.
Sic (Vaughanne) nimis dum lubrica gaudia vitæ
Inſequeris, mortis ſpicula paſſus obis.
Spicula paſſus obis, proh mors, proh ſpicula mortis:
Heu quantos motus labile tempus habet.
Te nemus auriferum, Tobij te flumina lugent,
Te repetit ſerto patria vincta comas.
Te repetit coniux lachrymis et luctibus vdis,
Natorum repetunt te quoque turba patrem.
Vt fuſos textor reuolutos rumpit, amœnis
Meſſor et in campis gramina ſternit humi

Sic

Sic Vaughannæa (trux Atrope) ſtamina vitæ
Scindis at inuitâ te ſuper aſtra viget.

Polihymnia

Nullus odorifero flos ſemper vertice floret,
Sed cadit in gelidâ ſemiſepultus humo.
Aurea nunc Phœbi fax reddit lumina terris,
Mox hanc offuſcat nox tenebroſa facem.
Quæ pubeſcebant pictâ iam germina veſte,
Obſita, brumali tempore ſola iacent.
Qui gazis hodiè bonus eſt et honoribus auctus,
Craſtina reptilibus vermibus eſca perit.
Tempora diffugiunt, venit et mors pallida telis,
Noſtraque lethali turbine vita ruit.
Tempora diffugiunt, breuibuſque ſeneſcimus horis,
Vltima et approperat non reuocanda dies.
Nunc vbi dux Nemroth? vbi Belus, Ninus, et eius
Mater? vbi Alcides et Telamone ſatus?
Nunc vbi ſpes Danaûm Pelides, Neſtor, Atrides?
Et Laertiades? nunc vbi Pyrrhus atrox?
Quô pius Æneas? quò Memnon, Troïlus, Hector,
Lampades Iliaci nunc abiêre ſoli?
Quó fugit Macedo, proles animoſa Philippi
Cui vaſtus quondam ſubditus orbis erat?
Quó nunc Mæonides? quó, quem tulit Aſcra, poeta?

Quo

Quo Plato? quo Socrates? quo Cato, Naſo, Maro?
Fato extinguntur. proh præcipitantia fati,
In rude ſunt horum membra redacta nihil.
Sic hominum dubiis eſt ſubdita vita procellis
Sic hominum rapidis Cymba agitatur aquis.
Labile tempus abit, nec habet retinacula, tranſit,
Et cito feſtinat more fluentis aquæ.
Crede mihi naſci pœna eſt, & viuere ſudor,
Sed bene per Chriſtum viuere, vita magis.
Quid leuibus Zephyris, quid credis inanibus vmbris?
Aethereis, ſi vis credere, crede bonis.
Vita licet floreſcat, erit contermina fato,
Fato, curarum quod graue finit onus.
Corporis exuvias hominem reparare negauit
Parca, Palingeneſis Pythagoræa labat.

Erato.

Lvbrica præcipiti titubat fortuna rotatu,
Errat, & in nulla ſede moratur iter
Crœſus, cui cornu conceſſa eſt copia, verſo
Ordine, iam nullas poſſidet Irus opes.
Serius aut citius rapit inclementia fati
Omnes mortales, condicione pari.
Omnia ſunt lachrymæ quorſum tua lumina vertis,
Paruus homo eſt mundus, labile mundus opus.
Naſcitur heu lachrymans, lachrymãs obit inſuper ille

Nu-

Nudus in orbe ſatus, nudus ab orbe redit.
Naturæ cedit, naturæ debita ſoluit,
Aſtrigero quicquid Phœbus ab axe videt.
Gramen ſit fœnum, funus ſit nobile fœnus,
Eſt, vbi Troia fuit falce metenda Ceres.
Quiſquis es (o mortalis homo) mea dicta capeſſe
Mortis & inſtabiles diſce timere vices.
Sis memor Icariæ, Phaetontæaque ruinæ,
Præ nimio faſtu turgidus eſſe caue.
Friuola mundanæ vita deliria vitæ,
Vita tibi Chriſtus ſit, tibi Parca lucrum.
Seruatum ſemen dominum ſpe ludit inani,
Fœnus at inſertum nobile reddit agro.
Sic homo, frumentum Chriſti ſi creditur agro,
Commoda mille feret, gaudia mille feret.

Thalia.

QVidi uuat immenſos lachrymarum fundere riuos,
Et tumulo lachrymis nemo redire poteſt.
Fletibus eſto modus, modicis ſatiaſſe dolores
Sufficiat lachrymis: fletibus eſto modus.
Turpia brutorum nece rapta cadauera turpi,
In nihilum tendunt, queis bona forma deeſt.
Aſt hominis melior pars irreſoluta vigeſcit,
Quamuis hoc falſo, ſus Epicure, neges.

Vene-

Venerit attriti mundi cum meta suprema,
Inque suum ruerit machina tota chaos.
Buccina sera sonum gratum dabit: ante tribunal,
Iudicis astabit mens pia carne noua.
Plaudet, io plaudet tunc tunc super astra locata,
Viuet, io viuet non moritura polo.
Flatibus haud Aquilo penetrat strepitantibus illuc,
Non clangit rapidi vis furibunda Noti.
Aligeri resonant iuuenes ibi iubila, cantant
Voce Panomphæi perpete gesta Dei.
Expleri nequeunt animos, saliunt que canendo,
Dulcia cœlestis gaudia lucis habent.
Sistite funebres planctus, suspendite luctus,
Quid iuuat immani plangere corda manu?
Exuite ornatus pullos, reuocate sorores
Pectora, defunctum tu Libitina geme.
Obdurate malis, nota est patientia virtus,
Hæc cito mœstitiæ nubila cœca fugat.
Non periit, fato quamuis, Vaughannus, ademptus,
Corporeo liber carcere viuit ouans.
Signifer expansis illum complectitur vlnis,
Pastor & aduentum gaudet adesse pecus.
Noscitis Isaiden (audito) morte fuisse
Infantem raptum mente tulisse bonâ.
Planctibus esto modus, modicis satiasse dolores,
Sufficiat lachrymis, planctibus esto modus.

Noſtra nec anxiferæ corrodant pectora curæ,
Eſto modus lachrymis, luctibus eſto modus.

Charitum querelę.

Euphroſyne.

MOrtua noſtra iacet ſpes, mortis arundine foſſa,
Cuius mors nobis morte maligna venit.
Vos Maredunenſes lachrymarum fundite guttas,
Vos decet ô tantum flere, dolere, queri.
Fleuit Ieſſæus ſic vates funus amici,
Illius & ſonuit buſta ſuprema chely.
Pagina ſacra docet, Ioſian quoque lumen Iudæ
Ceſum, Ieremian a Pharaone queri.
Chriſtus item quâ parua iacet Bethania, luctus
Edidit ad rapti moſta ſepulchra viri.
Qui prohibet veros pro charis edere fletus,
Sit Geta Barbaricus, treſſis agaſo, ſilex.
Vos Maredunenſes querulos ne ſiſtite luctus,
Vaughanni cineres amne rigate pios,
Tam libertatum veſtrarum fortis alumnus,
In mundo licuit dum ſupereſſe, fuit.
Pauperibus patuit domus eius nocte dieque,
Ornauit cenſu templa ſcholaſque ſuo.
Sique vnum vitæ tribuiſſet Iuppiter annum,

Excel-

Excelſum vobis ædificaſſet opus.
Hoc ſed opus ſæuæ nimis impediêre ſorores,
Exequare ſolo quæ monimenta ſolent.
Flammuomæ occubuit tandem cruciamine febris,
Et necis intrepidè flammea tela tulit.
O duram Lacheſin? quæ nec pietate, nec auro,
Nec prece, nec precio, nec moueare minis.
Non generis ſplendor, non fama, nec aris aceruus,
Auertant bombos (parca ſeuera) tuos.
Pyramidas Cræſi pulſas, Irique tabernas,
Craſſos cum Codris ſub iuga dira trahis.
Vtile cur (fatum) cæco rapis impete germen?
Cur rogo non lolium ſcindis inane manu?
Scilicet hoc fruges vernantes impedit, herbas
Impedit, idcirco commoda præda foret.
Nec modo mortales homines rapis, inuida virgo,
Sed fera, tu ſtupidis inſidiare feris.
Te geris aſt illis aliquantó mitius ipſam,
Omnibus æqualis ne videare nimis.
Quicquid in orbe viget, potes obturare pharetris,
Sed tua quis referat facta cruenta ſatis?
Phœnix & ceruus cum coruo tempora complent
Iuſta, ſed humanum tollis (acerba) genus.
O dolor? ô ſælus? ô vis? ô infamia turpis?
Quo non eſt melius, perdere plaſma Dei.
Sic vos culpa grauis mortales prodidit Euæ,

Cum vetitos fructus, poma cibârit **Adam.**
Sic tanto vestrum serpens inuidit honori,
Quando ignara mali tempora vestra forent.
Ac nisi lux æquæua patri veniſſet in orbem,
Deperiſſetis turba profana rogis.
Indigetes per quam fecit Deus ætheris alti,
Atque cohæredes vos ſine labe pares.
Nec mirum cum (mors) ita debaccharis in omnes,
Audebas ipſum morte petere Deum.
Sed rogo pro tanto auſu quas (dux atra) luiſti
Pœnas? non Erebi corruit aula tui?
Ipſaque, ſquamoſis quamuis criſtata colubris,
Pallidior buxo, dux & inermis eras.
Fulmen vbi letha'e tuum tunc temporis? vnde
Quæſo poteſtatem dic es adepta tuum?
Forſitan obijcies te surripuiſſe potentes
Imperatores, et pietate graues.
Hoc tibi concedam, ſed te rapuiſſe bonorum
Nomina, ſtentoreâ voce negabo, virûm.
Deciperis deluſa tui per roboris vmbram,
Proderis ingenij proditione tui.
Ignis, terra, polus, mare, mundi elementa peribunt,
Viuit at æternum non perituras honos.
Viuit honos, hominis viuit quoque ſpiritus, atræ
Soſpes ab incurſu mortis, in arce poli.
Et licet ipſa caro gelidâ tumuletur arenâ,

condicionis.

Spiritui ſumma iuncta erit illa die.
Parca quid egiſti ? nil. pergis ? paſcor inani
Spe. premeris ? propria mole. grauaris ? ita.
Victa tua ſpecie, vitreo vt Narciſſus in amne,
Mox, procul, et nunquam, cede, faceſſe, redi.

Aglaia.

ANne ſuum vita vel morte beare clientem,
Numen diuitijs pauperieue ſolet ?
Vita, et diuitijs, Adraſtea virgo per echo,
Inſontes reddit ſæpe beare Deum.
Scilicet æternum poſt funus tranſigit æuum,
In cœlo fruitur perpetuiſque bonis.
Scilicet haud dici vita hæc mundana meretur
vita, ſed in ſpeculo mortis imago trucis.
Scilicet occumbunt ſemel omnes turbine quaſſi,
A fati redimant membra nec æra iugo.
Sis Sumane procul, procul ô Cybeleïa proles,
Qui largiris opes coece faceſſe Deus.
Plurima decrepitis inſunt ſymptomata membris,
Quæ celeri ſoluit mors inopina manu.
Scilicet in cinerem remeat cinis, oſſea motu
Vis eſt caſſa, petit terrea maſſa chaos.
Tempora temporibus ſuccedunt, aeris aer
Igniculos, vndam mobilis vnda capit.

Corpora corporeis hæc naturalia præstant,
Quos & terra parit, terra grauata tegit.
Non Parcæ parcunt, atræ necis atria nemo,
Exequiasue tuas, ô Libitina, fugit.
Vt vallis, mundus, luctus est, gloria ventus,
Fumus opes, homines puluis & vmbra leuis.
Puluis & vmbra leuis pauliſper in orbe morantur,
Marte velut ceſi morte perire ſolent.
Omnia mutantur, tellus ſcatet amnibus, irâ
Obruit & terras percita diua Thetis.
Sanguinolenta furit Cadmæis ſtragibus Ira,
Ira Lycambæis commemoranda ſonis.
Viſcera collidunt, colliſaque viſcera regum,
In nihilum tendunt, quæ nihil antè voces.
Hos inter caſus mundanâ ex valle leguntur,
Sanctorum, Ioua præcipiente, greges.
Ne ſint participes tantorum forte malorum,
Ne morbos videant, qui latus omne grauant.
Cuius fila ſecat citius vitalia Parcæ,
Non hicfœlices ſint ſuper aſtra poli?

Thaleia.

NIx vt ignita tepefacta Phœbi
Soluitur campis face, ſic in vdas
Effluunt noſtri lachrymas ocelli,
fluminis inſtar.

Quando

Quando Vaughanni ſubit vmbra rapti
Mortis horrenda iacula, repentè
Carnifex noſtras dolor heu medullas,
Pectus & angit.
Aret æſtiui ſpecies nitoris,
Semiconciſas poſitura veſtes,
Fert venenatis grauidam ſagittis
Parca pharetram.
In ſenes primum iaculatur omnes,
In lacertoſos iuvenes deinde,
Vltimò molles adimit puellos
Funere pullo.
Reſpicit nullum per acerba ſexum,
Reſpicit nullos humiles, ſed vna
Cum Codris Crœſos reprimit ſuperbos
condicione.
Sub polo quicquid gemino vigeſcit,
Defluit pulchra ſpecie ſolutum,
Defluit tempus, ruit omne vitæ
munere caſſum.
Corpus humanum ruit, at reſurget,
Cum tubam Chriſti reſonabit altam
Angelus, tendet pia tum ſupernum
mens ad Olympum.
I ferox fatum Stygias ad vndas,
I ferox fatum tenebras ad imas,

Nemo

Nemo te posthac metuit, redito
vis tua fracta est.

Epilogus.

AN siet immundus mundus? dic labilis Echo.
Mera viz. vina.
An prodat Ech. *rodat vasta Chimera?* Ec. *mera.*
Vagit Ec. *agit magno discrimine.* Ec. *crimine. vastat*
Ech. *Astat mors, tranat flumina Pluto.* Ech. *luto.*
Intumet angue magis: quid quid magis intumet angue?
Et lue peius edit: qnid lue peius edit?
Est leuis vt flamen: leuius quid flamine credam?
Et cadit amne magis: quid magis amne cadit?
Inter stercosi mundus vorat omnia porci,
Ec. *Orci vt nos teneat præfica nauis.* Ec. *Auis.*
Pectoris hinc fluctus. Ech. *luctus, mala plurima.* Ec. *rima.*
Non comedat rancor Ech. *cor tamen Apher* Ec. *aper.*
Christus enim cœli concessit gaudia Ech. *dia,*
Nostra in se sumens crimina pronus Ech. *onus.*
Ergo, fauste pater, ter fauste, per omnia fauste,
In gremio Domini qui requiescis ouans.
Non postliminio poteris defunctus acerbæ
Mortis, ad hunc mundum fauste, redire, pater.
Quis melior Christo? Christus tamen occidit atro
Fato, pro nobis occidit ille Deus.
Sicut magnetis consumunt allia vires
Sic lachrymas, cœli cantica grata terunt.

condicionis.

Ad Lectorem Academicum.

QVi legis hos elegos versus, Academice lector,
Dum patrem laudo ne, rogo, verba pluas.
Illum laudando minui nullius honorem:
Defunctum vita lædere parce senem.
Liberat invidiæ stimulis lux vltima quemque.
Liberius resonat posthuma fama decus.
Si quisquam vestrum tali ratione (quod absit)
Sit laudandus, eum laudibus ipse Veham.

FINIS.

Authoris expostulatio cum Musis.

Auro quid melius? nomen. quid nomine? vita.
Quid vita? bonitas. quid bonitate? Deus.
Peste quid est peius? crimen. quid crimine? Demõ.
Demone quid? Phlegeton. quid Phlegetõte? nihil.

In obitum generoſ. Gualteri Vaughanni armigeri, Epitaphium.

A Iohanne Dauies Maridunenſi conſtructum.

SIquis iniqua triũ in ſpeculo cupit orſa ſororum
Cernere, ſi rapidæ fila caduca rotę:
Siquis iniqua cupit; ſpeculo ſpeculetur in iſto,
Et putet in ſpeculo vera videre ſuo.
En mala fatorum: tumulo clauduntur in vno
Et decus, et pietas et veneranda fides.
Pondera robuſtis rerum qui fulcerat armis
Armiger, in gelido corpus inerme toro eſt.
Arma gerens celſos petijt cum virgine cælos:
Militia eſt armis cælica digna ſuis.
Ite, ite in lachrymas, plebs plãgite inermis: habebit
Diues vbi columen nunc? vbi pauper opem?
Lapſa columna iacet, multos quę firma per annos
Stabat, et o ſtaret: lapſa columna iacet.
Et iacet, et magnam ſecum tulit illa ruinam,
Hac bene fulta diu tecta ruente ruunt.
Qui paſſus patrię, patitur nunc pondera terrę,
Qui ſpes magna fuit, frigida terra tegit.

Qui

Qui fuerat quondam flos, vt flos ille periuit:
Qui fuerat lumen, lumine caſſus obit.
Deplorat, deflet dolet, orbus, pauper, amicus,
Hęc, fera, preſentem, funera, fata, diem.
Quiſque ſuū queritur, nec ſunt ſine mente querelę:
Non reſtaurandi damna tulere boni:
Quiſque ſuum queritur: votoque incenditur vno,
Hîc mea ſpes, ſpes hic, ſpes mea quiſque refert.
Publica res dolor eſt, patitur res illa dolorem,
Publica vulgari miſta querela malo eſt.
Ille obit, omnigenę potuit qui flatibus aurę
Pandere communi proſpera vela rati.
Dum viuens quaſſę curſum, clauumque carinę
Rexerat, in dubijs ſalua cucurrit aquis.
Si quid amor poſſet, ſi quid pia vota valerent,
Non foret infeſti funeris iſte dies.
(Vaughanne) ęthereos petijſſes tardior aſtros,
Preſto eſſes mœſtis vel leuis vmbra tuis.
Et licet anguſta corpus ſepelitur in vrna,
Quamuis cumbit humo mortua clauſa caro:
Facta tua, et virtus viuunt, tu viuis in illis,
Nec fiet nomen vermibus eſca tuum.
Quod quis haberet, habes: et habes, quod poſſit habere
Virtus: poſt fatum viuis, vt illa, tuum.
Quis Momus? nemo eſt. vbi rapti infamia? nuſquā.
Et quis amans? cuncti. luctus? vbique loci.
Fata dabant mitem, mitiſque parauit amorem,

Fata

Ipſeque amor laudem, lauſque perennis erit.
At ſemel immotis lex eſt ſuccumbere Parcis,
Temporis exacto ſtamine, quiſque cadit.
Res eſt certa mori, poſcit ſua debita numen,
Nemo poteſt magni tela cauere Iouis.
Gramen vt in campis, vt flos vaneſcit in hortis:
Sic vita eſt hominis fluxa, caduca, breuis.
Itur: in ęternum nihil eſt durabile tempus:
Sicut origo fuit, ſic quoque finis erit.
Annoſa vmbroſis labuntur robora ſyluis,
Tempora habens vitę longa, peribit auis.
Fortis et imbellis pariter, pauperque, potenſque,
Atque omnes vno tramite mortis eunt.
Crœſus erat diues: perierunt ſingula: cumque
Summa dies aderat, Crœſus vt Irus erat,
Quis Magno maior? cecidit: victorque periuit:
Et iacet Alcides, Priamideſque iacet.
Sic cadit hic (duris ſi caſus cedere fatis)
Aſt ita, conculcans fata, cadendo viget.
Viuit quod moritur: quod diſcit cedere, viuit:
Eſt, bene, vita, mori: cedere, vita, Ioui.
Non caro ſic moritur, careant quod pectora ſenſu,
Spiritus vt viuit ſumma quod aſtra colit:
Iſti inerit motus, quod nunc ſine mente cadauer
Cumbit, et a poſita mole reſurget onus,
Vt quando clare dabitur vox lęta, venite,
Migret: et ęterni viuat in arce Dei.

FINIS.